

DISPUTATIO THEOLOGICA,
DE
RESTITUTIONE
ABLATI,

EX LUCAE C. XIX. v. 8. & DICTO AUGUSTINI,
Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum:
Quam

DEO OPT. MAX: AUTORE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; CELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.
CONSENSU AMPLISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE,
IN REGIA PRUSSIAE ACADEMIA,
PRÆSIDE

DN. GODOFREDO WEGNERO,
S. S. Theol. Doct. Ejusdemq; Profess. Publ. Ord. Concionatore
Aulico Secundario,
Dn. Patrono, Promotore ac in Christo Parente piè & eximie
Venerando,

Publico Eruditorum Examine proponit
CHRISTOPHORUS MEYERUS,
Fischhufinæ Scholæ Collega, Ecclesiæ Organicen,
IN AUDITORIO MAJORI,
Anno MDCCVII. die 1. Septembr.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

Coll. diss. A
128, 41

2. CXXVIII. 41.

VIRIS

PLURIMUM REVERENDIS, CLARISSIMIS, DOCTISSIMIS,
DN. GEORGIO REICHARDO
TYDÆO,

Archi Presbytero Fischhusino meritissimo,

DN. DANIELI VALENTINI,

Diacono Fischhusino meritissimo,

*Nobilissimis, Consultissimis, longaq; rerum usu & experientiâ maximè
conspicuis Dominis,*

DN. DANIELI RAPPOLD,

Distriktus Fischhusini Secretario dignissimo,

DN. GEORGIO HEINRICO *Meißelbach*/

Reipublicæ Fischhusinæ Consuli Amplissimo,

Nec non

DICTÆ REIPUBLICÆ

Nobilissimis atque Prudentissimis Dominis,

DN. MARTINO MEY, Pro-Consuli dignissimo,

DN. DANIELI DAMERAU, Judici gravissimo,

DN. MICHAELI MEYER, Camerario fidelissimo,

DN. PETRO SCHULTZ,

DN. JOH. FRIDER. Jäger/

DN. JOH. FRIDER. BERENDS,

Secretario,

DN. JOH. CHRISTOPHORO Hasen/

Nobilissimo item Spectatissimo atq; Doctissimo,

DN. DANIELI MANCIO, Cantori Fischhusiensi longè
meritissimo.

*Dominis Patronis, Fautoribus, Promotoribus, Affinibus, multis nominibus
devenerandis, suspiciendis,*

Disputationem hanc Theologicam in singularis observantiæ Symbolum, be-
neficiorumque in me collatorum quaecunque redhostimentum eâ,
quâ par est, animi submissione

Offert & consecrat,

CHRISTOPHORUS MEYER.





Non est, ut homines sibi cultum fingant atque excogitent, aut opera, quibus DEo placeant, suo pro arbitrio eligant; habent quod agant, & severè exigitur ab iis in Lege DEI, ut ἐπιλοφθησκείαις minimè opus sit. Ea enim est Legis Divinæ proprietas, ut sit perfecta omnium bonorum operum norma ac regula; eaque DEI præcipientis autoritas, ut penes solum DEum ἀυτοκράτορα ac sapientissimum, sit jus instituendi cultus, & servitium sibi placens præscribendi. Ideò tam seriò mandavit Deut. XII. 8. *Non faciat unusquisq; quod in oculis ejus rectum videtur, v. 32. Quicquid ego præcipio, custodietis, ut faciatis, non addas ad illud, neq; diminues ex eo.* Contra, si qui electi iis cultibus DEO servire ac placere animo vel facto præsumserunt, his exprobrat vel optimam etiam in factis intentionem Jesai. I. 12. *Quis requisivit hæc de manibus vestris?* Jerem. VII. 31. *Fecerunt, quod non præcepi eis, neq; ascendit in cor meum.* Sufficit Lex DEI sola, justificatis & renovatis, tanquam canon bonorum operum; ad eò ut non in ratione, aut cogitationibus humanis, sed in Lege Divinà tantum quærendum sit, quæ sit bona DEI voluntas, beneplacens & perfecta. Ipse enim suam revelat voluntatem, inquiens: *Judicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, facere judicium, diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum DEo tuo.* Mich. VI. 8. Quando igitur *Fides* bonorum operum forma dicitur, vel *causa efficiens* eorundem, nil aliud innuitur, quàm quod illa concurrere debeat, ut grata sint & placeant DEo, propter Christum Mediatorem fide apprehensum. Et insuper *Fides per charitatem efficax*, Galat. V. 6. parit fructus justitiæ, operante & excitante Spiritu Sancto, qui per fidem in cordibus fidelium habitat, Ephes. III. 17. Ut Augustino merito vocetur, *radix & mater bonorum operum*, Epist. 143. Exemplum *fidei operantis & efficacis*, in peccatore justificato & renovato, esto nobis in hac Disputatione ZACHÆUS, qui ad Christum fide conversus, non dicit, peregrinabor ego ad Templum Hierosolymitanum pro peccatis meis; nec ait, ego imposterum nudis pedibus incedam, ut peccata mea expiem, nec se tradere ordini Pharisæico aut Monastico constituit; nec alia similia opera ad Deum colendum eligit; sed ea, quæ Verbo & Legi Dei conformia sunt, spontaneo motu præstare, fidemque suam per opera charitatis demonstrare, firmiter proponit. Nullo enim cogente, nullò jubente, nullo etiam admonente, dimidium bono-

A

bono-

bonorum suorum pauperibus erogare, & insuper defraudationes compensare, imo non simplum, sed quadruplum reddere paratus est. Historia ipsius narratur Luc. XIX. v. 2. ad 10. in quâ varia memorabilia continentur, pluribus Disputationibus omnino includenda, si dignè tractari debeant. Quare unam duntaxat particulam ejusdem, præsentis disputatione evolvendam, elegi, quæ extat v. 8. Καὶ εἰ τινός τι ἐσυκοφάνησα, ἀποδίδωμι τετραπλῶν. Quæ verba, ut solitâ methodo, ad usum ædificationemque aliorum, ritè pertractare queam, imploro Gratiam Divinam mihi necessariam, quo finis ac scopus ultimus, qui DEI gloria est, feliciter obtineatur.

SECTIO I. ANALYTICO-EXEGETICA.

§. I.

Conversio Zachæi in prima parte hujus capituli describitur, cujus I. *Occasio* remota est Christi adventus in Jericho v. 1. II. *Subjctum* convertendum notatur (α.) à nomine, quod ipse est Ζακχαῖος, Hebræum origine, à זכאי vel זכאי purus fuit, quod ἀνιψρασμῶς gessit, quasi minimè Zachæus, purus, mundus. (β.) ab officio, vocatur enim Ἀρχιτελώνης, princeps publicanorum, aliis scil. præfectus, qui circa Jordanis trajectus ad exigenda vectigalia fuerant constituti. (γ.) ab opibus, quod dives fuerit, partim ex patrimonio, partim ex professione, & vectigalibus, sine conscientia ab hominibus peregrinis expressis. (δ.) à natione, quod fuerit Hebræus, dicitur enim filius Abraham v. 9. III. *Causa impulsiva* externa est studium videndi Christum, haud dubiè profectum ex honorifica & præclara de Domino opinione, & ex peculiari Spiritus S. motu, qui primus ad conversionem gradus fuit: quod declaratur ab effectum, consecensione Sycomori, cujus itidem *Causa impulsiva* refertur, exilitas nempe staturæ, v. 3. 4. IV. *Actiones preparatorie*, uti sunt (α.) *Christi aspectus*: cum enim venit ad eum locum, suspiciens Jesus, eum vidit, v. 5. qui aspectus ultroneus, signum benevolentiae & tractus interni fuit, seriique alicujus propositi circa ipsum perficiendi. (β.) *Alloquium*, quo mandat eum descendere, proprio nomine ipsum compellans, quasi familiariter notum. Ibid. (γ.) *Ultronea sui oblatio* ad convivium, *hodie domi tua oportet me manere*, ibid. quæ mira fanè res erat, nam quod invitatus accesserit ad convivium, legimus; at, quod ultro se ingesserit, hic solum.

solummodo reperitur. Ita Fides semper plus impetrat, quàm optat. Zachæus Jesum tantum videre cupiens, sortitur etiam hospitem. (δ.) *Prompta Zachæi obedientia*, nam ille *festinans descendit*, v. 6. Proficiscitur hæc obedientia ex fide benevolentiae Domini erga se, per illud mandatum, & oblationem ad convivium, significata. (ε.) *Hilaris ejusdem exceptio*, nihil enim respondit Zachæus, quod sæpe insperatum gaudium vocem præcludat; sed factò comprobavit voluntatis promptitudinem, *Jesum excipiendo gaudens*, ibid. re ipsa & gestibus declarans, sibi hoc hospite nihil gratius accidere posse. Quæ exceptio describitur ab *eventa*, quod *omnes hoc videntes murmuraverint*, v. 7. cujus ratio mox additur ibidem, *Ad hominem peccatorem ingressus est diversandi causâ*, quod traditione Phariseorum prohibitum erat. V. *Conversio ipsa Zachæi*, prodita (1.) *sermone Zachæi ad Christum*, v. 8. quò significatur (α.) *τάξεως observatio*, dum iste dicto audiens, *σαδεις* Christo sese fistit, scil. tanquam rem seriam acturus, nempe *percepturus*, qualiter conversionem suam Dominus velit approbare, & actu *professurus* pœnitentiam, coram iis, qui aderant, ac præcipuè coram Domino, v. 8. (β.) *Ejus pœnitentia*, dum ingenuè fatetur & aperte, quod magnus peccator fuerit, inquit: *Si quid aliquem dolosè defraudavi*, ibid. (γ.) *Pœnitentiæ fructus*, larga scil. *elemosyna*, dixit enim Domino: *Ecce, dimidium bonorum meorum do pauperibus: & restitutio furtorum*, inquit enim: *reddo quadruplum*, v. 8. Ex his fructibus veram & seriam suam pœnitentiam cognosci vult, quæ quod fide non caruerit, constat (2.) *ex sermone Christi de Zachæo* v. 9. qui (α.) *testimonium* præbet de illa conversione, inquit: *Hodie salus domui huic contigit*, i. e. Patrifamilias, & toti familiæ. (β.) *Occurrit murmuri indignantium*, *Est & ipse filius Abraham*, igitur non decere eos murmurationem, quod confratribus ejusdem gentis & generis non invidere, sed potius congaudere debeant, si per Dei gratiam convertantur & resipiscant. (γ.) *reddit rationem à suo officio*, v. 10. quare ad Zachæum diverterit, inquit: *Venit enim Filius hominis, ut querat & servet, quod perierat*. Prius est diligentiae, posteriorius potentiae: utrumque singularis *Φιλανθρωπίας*, quâ Christus hic erga Zachæum, & aliàs erga omnes miseros mortales, usus est. V. *Lyserus in Harmon. Evangel. cap. 137. p. 1406.*

II. Ex hac Analyti constat, in particulâ verborum, quam hic tractandam sumimus, describi pœnitentiam Zachæi, ejusque fructum;

A 2

con-

confitetur enim se peccatorem, & reddit ablatum, & largitur eleemosynam. Videbimus autem & singula verba, ut, sicubi latet emphasis aut significatio occultior, eruatur & dilucidetur. Καὶ εἰ τινὸς τι ἐσυκοφάνησα, & si quid aliquem dolosè defraudavi. Ubi verbum συκοφάνειν, cum cognatis, paululum evolvendum est. Nam descendit à τὸ σῦκον *ficus fructus*, Feygen / Matth. VII. 16. Marc. XI. 13. Luc. VI. 44. Jac. III. 12 in quibus locis tantum occurrit: ἡ συκέα, Ionicè συκέη, contractè συκῆ, *ficus arbor*, Feygenbaum / συκοφόνος, Matth. XXI. 19, 20, 21. XXIV, 32. Marc. XI. 13. 20, 21. XIII. 18. Luc. XIII. 6. 7. XXI. 29. Johan. I. 48. 50. Jac. III. 12. Apoc. VI. 13. ubi tantum extat: ἡ συκομωρῶσα, *Sycomorus*, arbor, in quam ascendit Zachæus, visurus Jesum, h. l. duntaxat occurrit. Notat circa hanc vocem Hugonem Carrensem, Cardinalem, Erasmus Roterodamus ad Iohan. V. scribens: *H. C. admonet, piscinam dictam per antiphrasin, quod minimè haberet pisces. Quemadmodum sorores Diaboli dictæ sunt Parcæ, quod nemini parcant. Nimirum hæc etymologia simillima est illi, quam attulit de Sycomoro: Sycomorus, inquit, dicitur, quasi sicut morus, quod sit similis moro. Adhuc sanè modum, non est magnum ingentia condere volumina, si libeat hujusmodi naniis miseras contaminare chartas. Ut verò morbum συκοφάνειας à se amoliatur, & tamen sanctorum errata indicet, in sequentibus exponit, quod scil. fiat publicæ utilitatis causa. Vocabulum, uti apparet, est compositum ex συκῆ & μῶρον, unde συκόμωρος, συκομωρῶσα & συκομωρῶσα, sicut h. l. legitur. Quæ & qualis arbor sit, docti non consentiunt. Beza ad Luc. 17. 6. cum satis eruditè de hac arbore disseruisset, tandem finit: *Sed hæc tamen fateor, non esse hujus loci.* Corrigit hæc verba Erasmus Schmidius in Notis suis, licet illis nihil addiderit, nec opinionem emendaverit, inquiens: *Imò sunt hujus loci. Quia enim ipse Filius Dei non dedignatur hisce nominibus uti: omninò nostrum est, ut in aliis, ita etiam in hisce verum sensum diligenter investigare.* Sunt, qui συκομωρῶσαν h. l. & συκάμινον Luc. 17. 6. (ubi tantum extat,) unam eandemque arborem esse, statuunt, ex relatione Dioscoridis lib. I. c. 182. (non 144. ut Beza & Schmidius citant,) f. 66. Συκόμωρον ἔνιοι δὲ καὶ τὸ συκάμινον λέγουσι, *Sycomorum aliqui etiam Sycaminum vocant, cujus fructus Sycomorum etiam propter inefficacem gustum appellatur. Arbor est magna, fico similis, frondosa, multo lacte abundans: foliis mori, pomum ter aut quater anno fert, non ramis,**

mis,

mis, ut ficus, sed caudice ipso, caprifico non dissimile, dulcius, grossis, sine granis interioribus. In præced. autem cap. 181. scribit: Μορέα ἢ συκαμινέα, δένδρον ἐστὶ γινώσκον. Quia igitur *Sycaminum* & *morus* ipsi sunt synonyma, uti Athenæo lib. 2. & Galeno lib. 2. de alimentis, & *sycomotorum* seorsim describit, quod & facit Galenus, mediam inter ficum & morum arbores collocans; hinc Erasmi opinio, relatione Discoridis νιχα, & Grotii, Græcorum versionem allegantis, quod *Sycaminus* & *Sycomotorus* sit eadem arbor, non potest approbari. Nam Dioscorides discriminateas, & Lucas quoque diversis nominibus utitur, ad diversas arbores significandas; ut rectius *Sycaminus* habeatur pro Moro, & *Sycamor* pro arbore inter morum & ficum media. Vid. plura apud Bezam c. 1. Athenæum lib. 2. c. 11. p. 51. Hug. Grotium ad Luc. 19. 4. Strigelium ibid. & Henr. Stephanum in Thes. Gr. L. T. 2. p. 1666. seq. & T. 3. p. 1126. ubi scribit: *Ευκόμορον Morum ficum dulcedine referens: item, Morum ferens mora fici dulcedine: eoque nomine, Ἔ arbor Ἔ fructus appellantur.* Hæc in gratiam Lectoris, ob vocem v. 4. usurpatam, quæ arborem denotat, quam Zachæus conscendit, adducere volui. Cæterum qui plura volet composita ex *σῦκον*, & inde derivata, consulat H. Steph. Tom. 3 c. pagg. ubi inveniet, *χαμαισύκη*, *humilis ficus*, *συκάς*, *ficus novella*, *συκῶν*, *ficetum*, *συκοβασίλεια*, *συκόβιϑ*, *συκολόγϑ*, *συκόπαις*, *συκοπέρις*, *συκχρὸς*, *Φίλόσυκϑ*, *συκάζω*, *συκόομαι* &c. quibus etiam accensenda vox est *συκοφαντέω*, quæ hic occurrit, evolutione dignissima, tum quod semel in N. T. extat, tum quod origo ipsius ex Græciâ derivatur.

III. Zachæus fatetur, quod *ἔσυκοφάντησε*, *dolosè defraudavit.* Verbum est ante citatum *συκοφαντέω*, *ῶ*, compositum ex *σῦκον* & *φάνομαι*, quod ipsum, ut & *φαντάζομαι*, occurrit apud Græcos per *συκοφαντῆμαι*, teste Henr. Stephano T. 4. Thes. pag. 34. Notat verbum, *Sycophantam agere*, *Sycophantari*, quo Plautus utitur *Trinum. III. 3. 5. IV. 2. 116.* Nomen autem *συκοφάντης* eum denotat, qui ficuum avulsores indicat, item qui ficta crimina intendit, &c. Utrumque enim, tam verbum, quàm nomen sumitur apud Græcos Autores (l.) *Propriè, in delationis ut plurimum significatione*, uti testimonia antiquissima de origine *Sycophantarum* confirmant. Nam Plutarchus in Solone refert, quod *è fructibus nihil, præter oleum, vendi peregrinis permiserit, catera exportari vetuerit.* Hæc lex, inquit, primo *Axe* continetur: *ἐν*

αὐτὸν ἂν τις ἠγάσαιο παντελῶς ἀπιθάις τὰς λέγοντας, ὅτι καὶ σύκων
 ἐξαγωγή τὸ παλαιὸν ἀπέεργτο, καὶ τὸ φαίνειν ἐνδεικνύμενον τὰς ἐξά-
 γοντας, κληθῆναι συκοφάντην: *ne jam fidem omninò abrogandam quis-*
riam praeceperit illis, qui dicunt, ficuum quoque antiquitus a vectigione pro-
hibitam, indeque Sycophantas primùm nominatos, qui ficuum expor-
tatores indicarent. Addit Interpres Xylander: nam *Syca* ficus, ἔ φα-
 νεῖν *indicare* est Græcis. Athenæus in *Dipnosophist.* lib. III. c. 2. & 3.
 prolixum discursum de ficibus varii generis habet, & inter alia scribit:
Ficus mortalibus elegantioris vitæ magistra fuit, vel hoc argumento,
quod locum, ubi primùm arbor hæc reperta est, sacra ficum Athenien-
ses vocaverunt, ipsiusque fructum ἡγήτηθειαν, id est unctioris ac cultio-
ris vitæ ducem, quod ante mitiores cibos omnes inventus fuerit. conf.
 L. Coel. Rhodigin. l. 18. c. 9. col. 835. fin. Allegat mox ibidem Istrum
 his verbis: *Ister in Atticis prodidit, vetitum fuisse, caricas exportare in*
Attica nascentes, his indigenæ ut soli fruereutur. Cum verò multi
furtim avehere deprehenderentur, delatores, qui apud iudices illos
accusarent, vocatos principio fuisse Sycophantas. Quæ sententia à plu-
 ribus approbatur, Ludov. Cælio Rhodigino lib. XVIII. Læctio. Antiq.
 cap. 9. a. f. *Sycophantas esse delatores eorum, qui ex Attica ficos expor-*
tarent, nemo non novit. Henrico Stephano in *Thesaur.* T. 3. col. 1127.
Athenis Sycophantæ dicebantur, qui indicabant eos, qui ficus ex Attica
exportassent. Vetitum enim erat olim *σῦκα ἐξάγειν ἐκ τῆς Ἀττικῆς,*
τὸ φυτὸν κατ' ἀρχὰς θαυμαζομένον. Quibus consentiunt alii, respici-
 entes antiquam legem, quâ ficus exportare planè vetitum erat, ut supra
 dictum. Vid. Erasmus Schmidius ad *Luc.* III. 14. Annotat autem CL.
 Joh. Conr. Dietericus in *Antiqq. N. T.* sub hac voce, quod propriè signi-
 ficet, *indicare eos, qui ficus Athenis alio exportabant, absque vectiga-*
li expensò Idque prolixè testatur memoratus Athenæus c. l. p. 74 sq.
Philomnestus libro de Sminthiis Rhodiis scribit, Sycophantam inde
nuncupatum fuisse, quod illis temporibus è mercatura ficuum, vini,
olei, tributum colligerentur, ac portoria, ἔ mulctarentur, quia ea non sol-
vissent, è quibus in administratione reipublicæ sumptus fieret: itaque
coactores, qui exigerent, ἔ eorum proventum suis rationibus ostende-
rent, ut credibile est, appellatos fuisse Sycophantas, ad idq; munus de-
lectos fuisse cives spectatissimos, atque optimæ fidei. Idem paulò ante
Alexis Poetæ, in Poetâ, testimonio confirmavit, cujus verba sunt:

Ὁ συκο-

Ὁ συκοφάντης ἔδικαίως τῆνομα
 ἐν τοῖσι μοχθηροῖσιν ἐστὶ κείμενον
 ἔδει γὰρ ὅς τις χρηστὸς ἦν, ἠδύς τ' ἀνῆρ,
 τὰ σῦκα προσεδέντα δηλᾶν τὸν τρόπον.
 Νυνὶ δὲ πρὸς μοχθηρὸν ἠδὲ προστεθὲν
 ἀπορεῖν πεποίηκε, διὰ τί τῶν ἕτως ἔχει.

Sycophantæ nomen immeritò

Viris improbis est tributum.

Nam qui foret bonus, & urbanus, is debuit

Indicatis ficibus mores approbare suos.

Nunc autem flagitiosos cum sic nominent,

Dubitare id cogit, cur ita factum sit.

Jacobus Dalechampius, ut versioni Latinæ lucem affunderet, in margine notat ad verba indicatis ficibus: *Quæ contra legem auctoritatem clanculum asportabantur: & ad verba mores suos, apponit: suam fidem, probitatem, integritatem.* Quò ipsò tum delationem, tum fidem virorum approbat; Sed Rhodiginus c. l. col. 836. hujus Alexis verba communi sententiæ opponit, & h. m. exponit: *Alexis malè hoc conceptum videri: nam qui bonus vir est ac suavis, & ficos apponit, sic decuit nuncupari, quoniam ita suos retegat mores: nunc verò pravo serape adnexum ambiguitatem parit, undenam sic habeat.* Nimirum Dalechampius communi opinione seductus, vertit *indicatis ficibus*, cum in Græco extet, τὰ σῦκα προστεθέντα, qui *ficus* apponit. Paulus verò apud Festum Pompejum aliter: *Sycophantas*, inquit, *appellatos hac de causa dicunt: Atticos quondam juvenes solitos ajunt in hortos quorundam irrumpere, ficosque deligere. Quam ob causam lege est constitutum, ut qui id fecisset, capite truncaretur: quam pœnam qui persequerentur, ob parvula detrimenta, Sycophantas appellatos.* Citat hæc verba Pareus in *Lexico Plautino, & Critico*, eademque legi apud Athænæum l. 3. p. 74. Ed. Casaub. scribit, secutus Erasmus in *Proverbiis*; sed ibi præter delationem, nihil invenias, Svidas sub hac voc. p. m. 823. & Scholiastes Aristophanis originem vocis ita exponunt. *Exortâ fame in Atticâ, quidam clam fruebantur ficibus, quæ Diis erant consecrata, ficusque Diis consecratas clam devorabant. Postea verò, cum felix annonæ proventus fuisset, quidam eos accusarunt. Hinc igitur dicti sunt Sycophantæ, qui ficuum ita devoratarum indices fuerunt, & qui nomen detulerunt eorum, qui*
ficus

eorum, qui ficus istas devorârant. Ita de usu & origine vocis tam variè, tamque diversè, ut videtur, differitur, & quò plures evolvuntur, eò major dissensus apparet. Conf. Jul. Cæsar Scaliger in Problem. ex Famil. Exercit. Problem. 2. p. 36. ubi multa egregiè de Sycophantis commentatur. Ut dicam, quod sentio, videntur illæ opiniones Autorum, adversæ sibi, benè conciliari posse. Nam primùm apud Athenienses planta ficus inventa, & Diis consecrata esse dicitur, teste Svida c. l. unde fructus ejus in magnâ admiratione, magnoque pretio fuit, ut ficus, ob raritatem, & pretium, exportari extra Atticam lege prohiberentur, & custodes, quos vocant σικωρῆς, συκόπαιδας, adhiberentur. Cumque nihilominus clam à furibus ficus Diis consecratæ decerperentur, & devorarentur, videntur capitis supplicium esse constitutum, quod furtum non simplex crederetur, & hac pœnâ fures compesci & arceri posse arbitrati sunt. Nec mirum est, in tantâ raritate & pretiositate ficuum, indices & delatores, homines bonæ fidei, fuisse constitutos, qui exportatores indicarent, & ad magistratum deferrent, *Sycophantæ* hinc dicti: nam hos sives fructus sibi solis Athenienses reservari fruendos volebant, non nisi dono mittentes vel apponentes amicis & peregrinis. Hi forte laudantur ab Alexi, quod apposuerint boni & sives viri, non ficus apparentes, σῦκα φαινόμενα, quasi jam ad justam maturitatem pervenissent, sed bonas, maturas, sives, pro more & honesto; quibus fortè propterea opponitur συκοπρίστης, in eum Stephano dictus, qui præ avaritia non ficus integras, sed particulas τῶ συνδείπνω apponit. Cum verò ficus multiplicarentur, & exportari permetterentur, vectigalia pro mercatura ficuum requisita sunt: ubi Sycophantæ, inspectores, & coactores, ex civibus spectatissimis, constituti, qui indicarent & deferrent exportatores ficuum, absque vectigali expenso, & multam iis impositam postularent. Nam in sequentibus temporibus, copiâ ficuum existente, Athenienses mercaturam ficuum exercuerunt, ut ex proverbii Græcorum, σῦκα θέλεις, σῦκον αἰτεῖ, colligitur. De priore Erasmus in Chil. 2. C. 3. n. 2. p. 427. scribit: *Natum ajunt à Siculo quodam, qui cum ficos navi portans, naufragium fecisset, ac deinde sedens in littore, mare placidum ac tranquillum videret, velut invitans ad iterandam navigationem, dixisse fertur, οἶδ' ὃ θέλεις, σῦκα θέλεις, novi quid velis, ficos vis.* De posteriore idem ibidem n. 3. ut & Svidas sub eod. prov. Σῦκον αἰτεῖ, inde natum tradunt, quod olim Athenienses agricolis blandiri soleant, ut ab illis ficos præcoquos acciperent, benè ominantes

nantes

stantes ac precantes, ut in annum sequentem fici feliciter provenirent. Rustici verò posteaquam senserunt, civium blandiloquentiam eò spectare, ut ficos acciperent, in proverbium verterunt, ut commodi spe adulantem, ficos petere dicerent. Vid. plura apud Svidam, & passim in Erasmi Chiliadibus, à Svidæ Interprete citatis. Hæc aliquantum prolixius de usu vocis adducere volui, ut cohærentiam & consensum diversarum historiarum ostenderem; nolo autem cuiquam obtrudere, tanquam infalibilia, sed unicuique sentire pro arbitrio permitto, & meliorum ac doctiorum iudicio libenter submitto.

IV. Sed non adeò diu usus & significatio vocum, συκοφαντεῖν & συκοφάντης, permansit, uti primitus imponebatur, exemplo aliarum, tyranni, parasiti, apud Athenæum lib. 6. Dipnos. c. 6. p. m. 234. &c. Quamvis enim initio spectatæ fidei & integritatis homines officio præficerentur, qui exportantes diligenter observarent, & accusarent; tamen, quia sine dubio odium exportantium in se derivabant, qui eos proditorum nomine designabant, nemo autem bonus ad officium proditorium, quale illud συκοφαντίας videbatur, sese adhiberi facile patitur; & ipsi observatores etiam procul dubio hac sua inspectione abutebantur, ut sæpè homines ex levicula causa, sæpè etiam lucri causa, planè innocentes deferrent, victumque sibi inde captarent, malè audire cœpit nomen Συκοφάντης, ita ut, notante Budæo, συκοφαντικῶς observare, sit, more Delatoris, quadruplatorisque observare, h. e. diligentissimè: propterea, quod huiusmodi homines milvinis oculis omnia lustrent, ut prædæ inhiantes. Hinc usurpari cœpit (II.) *Impropriè & Metaphoricè* utraque vox, longè magis & frequentius & diutius, quam quidem propria significatio duravit, & quidem (I.) *Strictè*, (α) *de Proditore & Calumniatore captioso & fallaci*, prætextum habente, ita ut συκοφάντης sit *delator calumniosus*, συκοφαντεῖν *calumniosas Delationes struere, falsa crimina deferre*, συκοφαντία *calumnia, falsa accusatio, calumniosa delatio*, συκοφάντημα *crimen, quod Sycophanticè alicui impingitur*, & quidem datâ vel accepta occasione, causa & prætextu. Vide Stephanum c. I col. 1127. sq. ubi etiam alia nomina huius significationis, tributa Delatoribus adducit; appellabant enim συκαῖας, συκοβίαις, συκολόγαις, φιλοσύκαις, συκῶδαις, συκόπαιδας, qui essent φιλεγκλήμονες, μάτην ἐγκαλῶντες ἢ φαίνοντες, εἰς δίκην ἐξάγοντες, more τῶν συκοφαντῶν, qui ficos exportantes in iudicium pertrahebant, ut plurimum ex eò vitæ genere victum sibi comparantes,

B

tes,

tes, annotante Scholiaste Aristophanis in Pluto. Nam ut aliquid pecuniolæ sibi corraderent, convolabant εἰς τὸ δικαστήριον, reosque agebant levissimis de causis, interdum & ficta crimina intendentes. Exemplis variis ex *Aristophane*, *Demosthene*, *Plutarcho*, *Platone*, aliisque, illustrat Henr. Stephanus c. l. ubi col. 1129 ex Pandect. συκοφαντίαν tribus modis fieri tradit, nimirum quod aliquis dicatur, ἢ συκοφαντεῖν, πλαστῶς κατηγορεῖν, ἢ προδότης τῆς ἰδίας ὑποθέσεως γινώμενον, ἢ τὰ ἀληθῆ ἐγκλήματα κρύπτων, ἢ Φυγοδικῶν ἢ τελείως ἀναχωρῶν τῆς κατηγορίας. Athenæus lib. 6. c. 3. p. m. 228. ex Diphilo Comico in Mercatore hunc versum citat: ἢ συκοφαντεῖν κατ' ἀγορᾶν, ἢ μαρτυρεῖν ψευδῆ, aut delatorem esse in foro, aut falsum testari. Perpetuò enim versantur in foro Sycophantæ, ut deferant modò hunc, modo illum. (β) de Militibus Luc. III. 14. Μηδένα διασείσητε, μηδὲ συκοφαντήσητε: *Neminem concutite, neque dolosè circumvenite.* Juxta Grotium διασείσιν est, terrore injecto pecuniam aut simile quid alicui exprimere, quod militibus nimium quam familiare; συκοφαντεῖν verò, injuriis causas aliquas, quantumvis falsas atque absurdas prætexere, quod solent interdum milites. Confert cum phrasi 1. Sam. 12. 4. occurrente, quem vide h. l. prolixius, Phædri fabula de lupo & agno morem Sycophanticum illustrantem. Erasmus Schmidius h. l. Quid sit διασείσιν, da man die Leute rüttelt und schüttelt/ mit Stricken um die Augen fiedelt/ und zum teuflischsten zermartert/ quid item militariter συκοφαντεῖν, in hoc bello infelicissimo nimium experti sumus. Nimirum, ut rectè ad h. l. Dietericus in Antiqq. N. T. p. 187. scribit, *Milites falsò & per calumniam deferebant Provinciales, crimenque callidâ fraude impingebant, quò nonnihil emolumentum extorquerent, fictisque causis emungebant suos, & opprimebant sub pretextu falso, non secus ac lupo Æsopicus dixit de ove, turbulentam sibi fecisse aquam.* (γ.) de Diabolo, qui DEum calumniatus est, prætendente causam, quod prohibuerit ligni sumtionem: & Jobum apud DEum, *Gratisne*, inquires, *DEum colit?* observante Suida p. m. 823. (δ.) de Homine apud Ælianum, referente ibidem Suidâ: *Ὁ δὲ ἐσυκοφάντει τὸν θεὸν ὀλιγωρίας, Ille verò Deum negligentie criminabatur, quasi terrenas res non curaret. Sed hinc morbi, & alimentorum penuria, Himeræorum agrum invaserunt, & graviter presserunt.* Huc (ε.) τὸ συκοφαντεῖν προκίσειν ἐρωτικῶς, *amatorio pruritu laborare, scalpere,* apud

apud Platonem Comicum, & Menandrum, notante Suidâ ibidem; sed quâ metaphorâ ab iis usurpatum sit, alii inquirent, qui otio abundant.

V. Extensâ jam vocis significatione ad quamlibet *delationem calumniosam, causam pretextente, usurpari* (2.) Latius coepit, de quolibet fictâ calumniâ, & accusatione malitiosa, nullâ causâ datâ, ita ut *συκοφαντεῖν* sit *dolosè agere, calumniari*, *συκοφάντης* *calumniator*, *συκοφαντία* *calumniosa accusatio*, & interdum *ars sycophanticè calumniandi, quam quis facit*. Quâ de Erasmus in Chiliad. 2. centur. 3. n. 81. Est Sycophantarum genus, quod non solum defert dicta factaque hominum, verùm etiam hominum somnia, cujusmodi delatoribus aurem patulam praebeuit Constantius, ut prodit Ammianus lib. 14. Praecipuè vero indulgit Mercurio cuidam, qui vulgò ob id Mercurius solenniorum est dictus, quod se specie familiaritatis convivis admisceret, & si quis nocturnum visum effutisset, depravatâ narratione ad Principem deferbat: aded ut vix quisquam apud ignotos auderet fateri se dormisse, ac docti nonnulli sortem suam deplorarent, quod apud Atlanteos nati non essent, ubi negant videri somnia, quod fatetur & Stephanus in dictione Atlantes. Huc pertinet historiola, cui vocis originem quidam tribuunt, memorante B. D. Lysero in Harmon. Evang. c. 137. p. 1405. E duobus servis Graci cujusdam viri, alter ficus, quae domi parata erant, absumserat, alter, quis eas abstulisset, ignorabat. Querente eis Domino, sons innocentem accusabat. Herus, ut veritatem exploraret, haurire subtepidam aquam utrumque iussit, deinde evomere. Ibi malitia & dolus alterius servi manifestatus est. Et tunc primò sycophanta vocabulum ortum. Certè *συκασῆς* & *συκοφάντης* h. m. bellè in lucem productus est, ejusque falsa calumnia repressa; sed origo vocis ex superioribus accuratius deducta est. Hic in genere *συκοφαντεῖν* est *calumniari, cavillari, Sycophantam agere*, vitium inter homines satis frequens & commune, sed assentatoribus ferè proprium. Quod cum perstringit Plautus in suis Comœdiis, passim adhibet, *sycophantari, sycophantia lepida, sycophantiosè, sycophanta pergraphicus, sycophanta & subdolos*: ita ut huic & aliis sycophanta dicantur impostores, & fucum facientes, ea, quae non sunt simulantes. In Pseudolo IV. 7. 107. *Sycophanta hic nequam est: nugis meditatur malè*. Vers. 103. *Purus putus hic sycophanta est*. Et v. 113. *Ego nec sycophantiosè quicquam ago, nec maleficè*. Trinumm. III. 3. 57. *Quanquam hoc me atatis sycophantari putet*. IV. 2. 116. *Enim-*

verò ego nunc *sycophanta* huic *sycophantari* volo. In hoc lato sensu occurrit Dicitur: *Non est remedium adversus sycophanta morsum.* Notat enim hic mendacem, cavillatorem, & hominem dolosum, quem solemus *Zuchschwänker* vocare, der mit Betrug und Lügen umgeht.

VI. Quænam h. l. significatio vocis locum habeat, quando Zachæus fatetur: *εἰ τινός τι ἐσυκοφάντησα*, non immeritò quæritur. *Propria* significatio hic non obtinet, quia ille *ἀρχιτελώνης* non circa ficus fuit occupatus, sed cæterorum publicanorum & observatorum princeps & inspector fuit, qui vectigalia pro omni mercatura recipiebant. *Nec in genere* *sycophanta* propriè dici potest, qui alios calumniatur, & mendaciis onerat, vel convitiando molestus est; hoc enim non confitetur, sed aliud confessione suâ innuit. Et quamvis *specialis* significatio omnino locum habeat, quæ *proditorem* & *delatorem* notat, lucri causâ aliorum crimina apud magistratum denunciante, & pecuniam inde captante; tamen non exhaurit ista omnem sensum verborum, cum plus hac voce h. l. indiget, quàm dolosa & lucrifica delatio & criminatio aliorum. Statuo igitur, vocem *συκοφάντων* hic (3.) in *Generali* & *Latissimo* significato accipi, ut comprehendat omnia ante memorata vitia, & insuper furta, omnemque injustitiam in pecunia corradenda adhiberi solitam. Nam confluxus omnis malitiæ & injustitiæ in hoc Zachæo deprehenditur. Primùm eminet in eo *ἀδίκη* & rei alienæ ad se pertractio, quam satis clare fatetur hoc vocabulo, cujus hic sensus est: *Si quid alterius vel alienum dolosis meis artibus meum feci, aliisq; subtraxi, reddo quadruplum.* Pronomen *τινός* indicat, aliorum bona appetisse, & subtraxisse aliis: & *τι* innuit, quod, quicquid alienum fuit, suum fecerit: & verbum *συκοφάντων* h. l. ipsum actum & modum indigitat, quod aliena bona rapuerit, *sycophanticè* & dolose, calumniando, deferendo, mentiendo, in jus vocando levem etiam ob causam, fraudes quasvis adhibendo, justitiam negligendo, sæpe ficta crimina intendendo, modò assentando, modò comminando, cum hominibus fraudulenter agendo, ut Spiritus S. ex modis potius acquirendi illicitis ejus furta & rapinas describere voluerit, daß er so *grossen Reichthum mit heucheln und schmeicheln / List und Betrug / mit Unrecht und Gewalt / heimlich und öffentlich an sich gebracht habe.* *Istis enim* (publicanis) *ferè mos est, suis latrociniiis prætexere rei-publicæ commoda, & hoc obtentu ita impudenter prædari, ut si quis sese illorum rapacitati opponat, injuriam sibi ac rei-publicæ fieri clamitent.*

Testa-

Testatur *restitutio quadrupli*, quod hic furta & direptiones alienorum bonorum sycophanticè peregerit, id est, omnibus modis, qui à sycophanta excogitari vel adhiberi possunt. Ostendit insuper illud vox ἀδικεῖν, quæ tam late patet, quam vox Hebræa רשע, quam LXX, sæpè per συκοφαντεῖν exprimunt, Job. XXXV. 9. Psalm. LXXII. 4. CXIX. 122. Per idem quoque reddiderunt το ῥῶ Levit. XIX. 11. Scipioni Gentili Comment. in Epist. ad Philem. v. 18. ἀδικῶ & συκοφαντῶ sunt synonyma, omne genus injuriæ significantia. Lutherus noster vertit, ubi συκοφαντεῖν extat, auffbringen / beleidigen / fälschlich handeln / Gewalt thun / Unrecht thun / & h. l. betriegen: ubi συκοφάντης, Lasterer / Unrecht: ubi συκοφαντία, Sresel / Widerspenstig / unrecht thun. Ex quibus omnibus apparet ἀδικία, multis & variis modis exercita. Hebraicè dixisset, ירשעוּ אֵין, hoc enim verbum est latissimæ significationis, redditum in V. T. etiam per ἀποσερῶ, καταδυναστεύω, ἐκπιέζω, θλίβω, ἀρπάζω &c. Græcum συκοφαντεῖν Interpretes vertunt: *Et si aliquem quid defraudavi: Et si quid per calumniam (vim, injuriam) eripui: Si quid delationibus, fraude, vel malis artibus, cuiquam extorsi.* Rectius ergo Vulgata h. l. per *defraudare* reddidit, quam supra c. 3. per *calumniam facere*, hoc enim minus est, quam utrobique infert: *Milites enim* (inquit Scultetus in Exercit. Evangel. lib. 1. c. 19. p. 520.) *non tam calumniantur, quàm defraudant, quos possunt.* Τὸ συκοφαντεῖν generatim usurpatur pro omni injuriæ genere. Et sane latior significatus hic omnino approbandus est, cum sola calumnia, aut delatio, aut calumniosa delatio, non sufficiat, Zachæi vitiis uno verbo indigitatis, quia furta commisit, & aliena dolosè surripuit.

VII. Cætera verba in Textu tantâ difficultate non laborant. Contra distingvuntur hic δίδωμι & ἀποδίδωμι, quorum illud notat aliàs *do, dono, trado, offero, porrigo*, hîc autem, Lysero annotante, *addico, consecro, deputo* pauperibus ab hoc tempore, nam quod antea hoc facere inceperit, verisimile non est, & τὸ σήμερον v. 9. non permittit; hoc verò significat *reddo, retribuo, persolvo*, idemque est, quod ἀναδίδωμι, ἀναποδίδωμι, χρεωστικῶς δίδωμι. Ponitur autem præsens pro futuro, ad certitudinem redditionis indicandam. Paratus enim erat, & habebat, ut præstare posset; quod servus ille, μὴ ἔχων ἀποδῆναι, Matt. 18. 25. in futuro exprimit v. 26. καὶ πάντα σοι ἀποδώσω, q. d. reddam, cùm potero. Τετραπλῆν est compositum ex ἀπλόον, ἔν simplex, & τέτραλϚ, τετρας, quartus

*quartus, quaternio, significans quadruplum, τὸ ἀπλῶν quater sum-
tum. Agnoscit enim Zachæus: quod quæ per Sycophantiam alteri e-
repta sunt, furti speciem habeant, furto autem ablata quadruplum re-
quirant, tum lege Divinâ Exod. XXII. 1. tum lege civili, l. (1. n. 3.)
Prætor ait, de Publicanis (ff. t. 4) *Edictum in aliquâ parte mitius est,
cum in duplum datur, cum vi bonorum raptorum in quadruplum sit,
& furti manifesti aequè in quadruplum.* Juris igitur necessitate id fa-
ciebat, nec erat, in quo magnopere æquitatem suam ostentare videretur.
Conferantur hic tamen, quæ qv. VII. dicta sunt.*

VIII. Addo *Paraphrasin* verborum à D. Luca Osiandro ad h. l. adornatam. *Domine Jesu: Ego ex animo doleo, quod hætenus duxe-
rim injustam & scelestam vitam, quod defraudârim & expilaverim eos,
quibuscum mihi fui negotium. Ut igitur intelligas, me seriò pœnitentiam
agere, & vitam in melius mutare velle: en, sanctè promitto tibi,
quod velim pauperes liberalissimè (etiam cum magna mearum facultatum
jactura) juvare: etiamsi id dimidia bonorum meorum parte constaret
Et ut prius avaritia peccavi: sic posthac liberalitate & benefi-
centia demonstrabo, mihi priorem meam vitam vehementer displicere.
Si quem etiam defraudasse me in memoriam revocavero, copiosè illi sa-
tisfaciam. Scio enim, quod lex Mosaica, in quibusdam speciebus furti
restitutionem in quadruplo præcipiat, Exod. 22. BRENTIUS in cap. XIX.
Lucæ Homil. 28. fol. 280. a. breviter ita sensum exhibet. *Sententia ver-
borum Zachæi hæc est. Scio, me multos dolis, calumniis, & imposturis frau-
dasse, quòd certè non aliud est, quàm furari. Satisfaciam igitur unicuiquæ
juxta leges nostras politicas, quæ sunt divinæ ordinationes. Et cum hæc
leges quadruplum præscribunt, quadruplum etiam reddo. Hic nihil
deest, nisi sycophantias exaggeratio, ex præcedentibus satis conspicua.**

SECTIO II.

PROBLEMATICO-ELENCHTICA.

QV. I. *Quis ille Zachæus fuerit, Gentilis, an Hebræus?*

IX. Indubia sunt, quæ Lucas de *Zachæo* memorat: 1. quod fu-
rit ἀρχιτελώνης, i. e. princeps seu magister publicanorum, horum socie-
tati præfectus. 2. quod dives fuerit & opulentus. 3. quod desiderio vi-
dendi *JESUM* flagraverit. 4. quod pusillus naturâ fuerit. 5. quod defe-
ctum

ctum corporis, à longioribus circumcinctus & impeditus, ingenio compensaverit, & suæ dignitatis oblitus, arborem conscenderit. 6. an vero gentilis homo, an *Judæus* fuerit, è textu non tam perspicuè liquet, ut propterea Interpretes de *natione* dissentiant. *Gentilem* fuisse Zachæum inde colligi potest, quod Equites Romani, iique opulentissimi, vectigalia conduxerint, uti Atticus, Ciceronis affinis, nec Judæos sibi subjectos, ad eam dignitatem, quæ honestissima habebatur permiserint, Romanum civem fuisse, cum tot quotidie civitate donarentur, vel etiam illam emerent, admodum probabile est. *Gentilem* fuisse Veteres non pauci asserunt, inter quos Tertullianus lib. 4. advers. Marcionem p. m. 459. *Zachæus*, inquit, *etsi allophylus, fortasse tamen aliquâ notitiâ Scripturarum ex commercio Judaico afflatus: plus est autem, & ignorans Esaiam, præcepta ejus implebat. -- Hoc cum maximè promittebat, in omnia misericordie opera dimidium substantiæ offerens, dissolvens violentiorum contractuum obnoxios, & dimittens conflictatos in laxamentum, & omnem conscriptionem iniquam dissipans, dicendo: & si cui quid per calumniam eripui, quadruplum reddo.* Ambrosius lib. 8. in Lucam c. 19 p. 139 lq. *Non prophetas, non regnum habebat, tanquam formæ gratiam naturalis ascendit in sycomorum, vanitatem judæorum vestigio suo proticens, -- ut naturali excisus oleastro, & contra naturam insertus in bonam olivam, fructum posset legis afferre.* Chrysostomus in Lucam Sermon. de Zachæo, in fin. T. 2. *Fit Zachæus Abrahamæ filius, fide, non genere: merito, non sobole: devotione, non stirpe. -- Fides, inquam, Zachæum filium exhibet, quæ Abraham patrem constituit sublimatum.* Hos multi alii secuti sunt, Zachæum origine fuisse gentilem statuentes. At contra apparet, hunc Zachæum fuisse natione Hebræum. Quia (1.) Christus de eo disertè pronunciat, *Est & ipse filius Abraham*, non minus quàm Pharisæi; hac ratione usus contra murmurationem, quod indignum sit, ejusdem generis & gentis homines invicem invidiâ laborare. (2.) Christus hæcenus Gentilium conversationem vitaverat, ne Judæis calumniandi occasionem præberet, suæque missionis finem, aliquoties memoratum, confirmaret, *se missum esse ad perditas oves Israël.* (3.) Licet quidam publicani gentiles fuerint, non tamen omnes fuerunt; siquidem Matthæus etiam publicanus fuit, at non gentilis, sed ex Israël oriundus. (4.) Si gentilis fuisset, Judæi multò plus tumultuaturi fuissent, quod Christus non tantum ad peccatorem, uti publi-

publi-

publicanus æstimabatur, sed etiam ad hominem præputium habentem, divertisset. Nec obstat (α) quod Hieronymus Zachæum appellet circumcisum præputio vitiorum, Chrysostomus eum per & propter fidem Abrahamæ filium constituat. Respondet idem Hieronymus: *Cur dicitur filius Abrahamæ? nam si erat, testimonio non egebat. Sed quoniam non omnes erant filii Abrahamæ, qui esse credebantur: hic de opere agnoscitur filius, non de gente, & virtute, non sanguine.* Quippe fide suscepit Dominum, ab eo suscipiendus. Nec (β) Zachæus fuit constitutus publicanus à Romanis, ergo gentilis fuit. γ. Nam ex historia Evangelica constat, etiam Judæos ex avaritia vel ambiisse, vel se ad hoc munus conduci passos fuisse, quos postea contribules acerbioro odio ob exactiones & fraudes persecuti sunt.

Qv. II. *Cur hujus Zachæi Historia in dedicationibus Templorum adhiberi solita est?*

X. Historia de Zachæo, Publicanò divite, vulgatissima & decantatissima est, quod in encæniis templorum olim, & nunc passim, prælegitur & explicatur. Jactatum inde proverbium publicum, notante Brentio in c. 19. Luc. homil. 28. fol. 278. b. *nullam esse templorum dedicationem, in quâ Zachæus non præsto adsit.* Zachæus ist auf allen Kirchweihen. Encænia, & antiquitate, & bono fine nituntur, ut improbari simpliciter non possint. Abusus, ut in aliis, ita hic quoque taxandi & abrogandi sunt. Germanis nostris dicuntur Kirchweyhe / à Weyhen / quod est *sacrare, consecrare*; item Kirchmesse / contractè Kirnesh / à Missâ, potiore actu illius festi, nam in Papatu per multas Missas encænia celebrata sunt: quamvis ex Veterum usu hæc vox etiam notet Synecdochicè *solemnem aliquam festivitatem*, e. g. Spatium usque ad Missam S. Martini dare decrevimus, in Capitular. Caroli M. l. 2. c. 18. Germanicè Messen vocantur *nundinæ*, quia enim olim nundinæ festis diebus celebrabantur, ideò ob *Missarum* solemnia, ad quæ confluxus hominum est, ipsis nundinis quoque *Missæ* nomen inditum fuit, quia in encæniis nundinari cœperunt. Cum enim olim tam frequentia templa non essent, ut hodiè, longius habitantes ad templum proximum se contulerunt, aliquot milliaria emetiendo, ut in Silesia fit & alibi, ubi exercitium religionis puræ non conceditur, quâ occasione pro itinerantibus primùm victualia, postmodum etiam alia necessaria fuerunt venalia, & sensim mercatus,
tum

tum in anniversariis encæniis præcipuè, tum in aliis festis, introductus est. Vid. *D. Linck. Tract. de jurib. Templ. c. 7. p. 161.* Et quia proculdubio ante tempora Papatus, Textus Scripturæ in ecclesiâ prælectus est, & populo quoque explicatus, uti tempore Salomonis, 1. Reg. 8. Judæ Maccabæi, 1. Maccab. 4. 59. Christi, Joh. 10. 12. qui tunc concionatus est, Constantini M. &c. factitatum: ita nullum est dubium, quin postea, saltem ubi ministri peritiores fuerunt, & in aliquibus templis, mos ille retentus fuerit, quamvis hodie ignoretur, quis & quâlis textus adhibitus fuerit. De introductione Textus de Zachæo non omnes idem sentiunt. Nam (1.) M. Erasmus Winterus conc. 7. de Encæn. causam hanc, tanquam probabilem affert, quod ista Historia præ aliis electa sit propter verba Christi, v. 9. *Hodie salus domui huic facta est.* Ad quæ hodie quoque Concionatores respectum habent in encæniis, uti plurimum exempla testantur. Per allegoriam enim applicantur ad Tempia, quod ingens gratia, salus, & beatitudo, Domui Dei, ecclesiæ, ejusque incolis contingat, dum eam Dominus & Servator Jesus Christus verbo suo & sacramentis clementer visitat. (2.) B. D. Dannhæwerus aliam rationem adducit, quod scil. Episcopi Conradus & Wernerus Indulgentias largas concesserint, pro templo summo Argentorati ædificando, quando Lact. Catech. Part. 4. Conc. 10. de scala Jacobi, ex Schadæo in descript. illius p. 14. scribit p. 120. *Es kamen Fuhrleute aus Oesterreich und andern weiten Ländern / die da Stein um Gottes Willen zu dem Bau / aus unser Frauen Grube im Cronthal hobleten / und zuführeten. Man gab im ganzen Lande den Amptleuten und Pfaffen Büchsen in die Kirchen / darinn hieschen sie auff die vier Frauen Tage / mit diesen Worten: Also ihr lieben Freund steuren unser Frau zu ihrem Bau gon Straßburg / wer ihr Gnod hanwill / es sy gestolen / geraubt und unfertig Gut / der leg es harin / der hat hiemit Ablass und Vergebung der Sünden / es ist unser Frauen ein gutes Gut.* Ex quibus verbis colligi potest, quod per has indulgentias omnis pecunia, fraude, furto, rapinis, aliisque modis illicitis compilata, fuerit sanctificata, ut crederent homines, sua delicta atque scelera hoc modo expiari, si ad ædificationem templorum istam largè supeditarent. Quod ut facerent tanto promptius, historiâ Zachæi, qui conversus opes sycophanticè conquisitas restituit, & inter pauperes dimidium bonorum distribuit, commovere populum voluerunt. Facit igitur

C

Histo-

Historia, partim ad memoriam beneficiorum spiritualium, qualia sunt Conservatio verbi & ecclesiæ, quæ omnino approbari debet; partim ad collectionem pecuniæ injuste acquisitæ, pro templis extruendis, reparandis, & conservandis, quæ meritò improbatur, ut ex qv. seq. patet. Tantum Zachæus ille in Papatu valuit & potuit. Conf. B. Lutherus in Postill. Eccles. Part. 4. in d. encæn. p. m. 69.

Qv. III. *An omnis possessio Zachæi male acquisita fuerit?*

XI. Zachæus sistens sese Christo, pœnitentiam seriam demonstrat promissione istâ: *Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & reddo quadruplum.* Quibus verbis duo bonorum suorum genera indicat: alterum injustum, aliis sycophanticè ereptum, & propterea restituendum: alterum justè acquisitum, vel hereditate acceptum. Nam quia dives fuit, nullum est dubium, quin hereditariis opibus suis, justè usus ad merces coëmendas, easque cum lucro vendendas, vel aliàs bene collocatis, honestum & licitum lucrum sibi acquisiverit & indies amplificaverit. Quia vero Publicanus fuit, illicitis & prohibitis modis pecuniam etiam corrasit, multos d. fraudando, per Sycophantiam auferendo, quod speciem furti habet. De his igitur bonis, furto comparatis, dici non potest, quod dimidium pauperibus dederit, cum his quod datur, Christo detur, huic autem elemosyna talis nequaquam placere & grata esse possit. Christus autem promissionem Zachæi, *dimidium do pauperibus*, non improbat, sed potius hanc liberalitatem, tanquam effectum ac fructum seriæ pœnitentiæ, approbat, quia Verbo suo conveniens est, pauperum necessitatibus subvenire, præsertim si fiat ex fide & charitate. Opponi ergo potest Zachæus hominibus, quorum in præcedente quæstione facta mentio, qui ad templorum ædificationem, furto, rapinis, atque spoliis conquistam pecuniam, largâ manu attulerunt, quia gratam atque sibi salubrem fore hanc erogationem crediderunt, datis indulgentiis persuasi. Aliter Paulus Roman. III. 8. nos informat, *Non esse facienda mala, ut eveniant inde bona.* Non enim *finis* solùm, sed & *forma* actionis bene observanda est. Hinc, cum Dn Philippus Melanchton furtum calcei apud divitem commissum excusaret, ut nudo calceamenta suppeditarentur, & ipse ab injuria tempestatis vindicaretur, B. Lutherus ei respondit: *Urge tu finem, ego urgebo formam*; observante Wellerio ad c. I. Rom. ubi & Gentilium Sapien-

Sapientum effata annotavit, quod *malum medicari malo non liceat: quod pharmacum malum malo addens, gravius sibi reddat infortunium: quod mortalium res hinc laborent maximè, quando malum curare malo contentur*; ex Herodoto lib. 3. Sophocl. in Ajace, Stobæo serm. 4. n. 32.

QV. IV. *An furto ablata, aut inique parta & retenta, necessario remissionis salutis causa restituenda sint?*

XII. Injustè parta & retenta necessario restituenda esse, docent & confirmant: (1.) *Exempla sacra*, quorum h. l. memorabile satis est *Zachæi* conversi, confitentis dolos & furta, & publicè restitutionem bonorum injustè partorum promittentis: *Si quid aliquem dolosè defraudavi, reddo*. Quippe salus ipsi contigerat fide in Christum, quam demonstrat esse veram, pœnitentiæ fructu & fidei effectu, videl. restitutione ablatorum. *Samuel*, resignando judicis officium, ad populum ait 1. Sam. XII. 3. *Ecce me, respondete contra me coram JEHOVAH, & coram uncto ejus: cujus bovem sumsi? & cujus asinum sumsi? & quem oppressi? quem attrivi? & è cujus manu accepi pretium, ut occulerem oculos meos ob illud? tum restituam vobis*. Legis sententiæ de restituendo ultro se subjicit ex conscientia fiducia, q. d. si ita esset, ex lege furti tenebor, quare restituam. *Senatores populi* ad Nehemiæ severam increpationem prompti sunt ad restituendum. Cum enim is dixisset c. V. II. *Restituite eis hoc ipso die agros eorum, oliveta eorum, & domos eorum &c.* respondent v. 12. *Restituemus, & ab iis non repetemus: sic faciemus, sicut tu dixisti*. Noluerunt igitur conscientiam amplius injusto bono onerare, nec sese gratia DEI ob commodum proprium defraudare. *Tobias* quoque, de hircu dubitans, utrum justè acquisitus sit, uxorem allocutus est, cap. II. 13. *Unde hic hircus? num furtivus est? redde eum Dominis: non enim justum est comedere furtivum*. Averfatur furtum, & ablatum cupit restitutum. Idq; jubent (2.) *Dicta Scriptura*, quibus Deus severè ablatorum restitutionem præcepit. Ita enim mandat Levit. VI. 1, 2, 3, 4. *Quando anima (aliqua) peccaverit, & prævaricata fuerit, dum negavit proximo suo depositum, aut societatem, aut raptum, aut oppressit proximum suum: aut invenit amissum, sed negavit illud, juravitq; super mendacio. Quando fiet, ut (ita) peccet (quis) & reus fiat:*

fiat: tum restituet rapinam, quam rapuit; aut vi ablatum, quod vi abstulit; aut depositum, quod depositum fuit apud ipsum; aut amissum, quod invenit: aut (quicquid fuerit) de omnibus, super quo iuraverit cum mendacio: restituet autem illud in capitali suo, & quintam ejus partem addet super illud, illi, cujus id fuit, dabit illud in die reatus sui. Quæ Lex Divina, non est fœrens Judæorum, sed positiva moralis, in naturâ fundatâ, adeoq; catholica, docens omnes *suum cuique tribuere.* Expresse eniat h. l. dicitur, quod, qui talia facit, prævaricationem committat contra Jhovam v. i. gratiam ipsius amittendo, ad cujus reconciliationem præscribitur sacrificium pro reatu, v. 5. Contra promittitur restituenti receptio in gratiam Ezech. XXXIII. 14. 15. *Quod si dixero impio, moriendo morieris; sed reversus fuerit à peccato suo, feceritq; judicium & justitiam: Si pignus reddiderit impius, raptum compensaverit, in statutis vitæ ambulaverit, ut non faciat perverſitatem, vivendo vivet, non morietur.* Conf. Mich. VI. v. 8. ad 15. ubi minatur DEUS thesauris improbitatis & ponderibus doli varias pœnas, uti & 1. Theſſ. IV. 6. (3) Ratio quoque prægnans evincit, restitutionem ablatorum & injustè retentorum, quia sine hac nulla vera pœnitentia in homine esse potest, de quâ aliàs verum est, quod dicitur: *Pœnitentia sanat, quod peccatum vulnerat*, scilicet vi meriti Christi, quod fide, præcipuâ pœnitentiæ parte, apprehenditur. Nimirum, qui ablata & injustè parta scientes & volentes retinent, pœnitentiæ seriæ locum minimè præbent. Etenim non agnoscunt, se peccare, dum aliena bona, eaq; malè parta, possident; neque contritionem & tristitiam in corde propterea sentiunt; neque iram Divinam ob suam injustitiam timent; sed potius gaudent in sinu luo, quod sua fecerunt aliorum bona. Quod si enim dolorem sentirent super injustâ possessione, non utique retinerent, sed protinus abjicerent & redderent aliena, sibi molesta atq; noxia; at, quia hoc non faciunt, & retinent ea in sua possessione, signum est certissimum, eos delectari injustè partis, & retinendo ea, peccatum continuare, adeoq; pœnitentiam veram non agere. Ubi verò non est pœnitentia, ibi non expectari potest peccatorum remissio, & consequenter DEI gratia & salus. Restitutionis inde necessitas disertè apparet. Pius ille Jctus Francofurtensis, B. D. Brunnemannus in de Jure Eccles. lib. I. c. 6. m. I. §. 16. p. 107. ita scribit: *Ad veram pœnitentiam requiritur vera ac seria contritio de peccatis: sed quæ est hæc contritio ac pœnitentia,*
si id

si id quod per nefas quaesivi ac retineo, restituere nolo? Lucrum inju-
 stum deleat, & tamen dico, me pœnitere, qualis quaeso est hæc absur-
 ditas? Deinde ad veram pœnitentiam requiritur propositum justè ac
 piè vivendi. Sed justitiæ est restituere aliena. Si bonum propositum
 emendandæ vitæ non adest, non est vera hæc fides, quæ justificet. Nam
 quam fidem non sequuntur opera charitatis, illa est mortua fides.
 Quanto magis mortua erit, quando non sequuntur opera justitiæ, ad
 quæ non christiani tantum, sed & gentiles jure naturæ & divino obli-
 gantur. Idèò (4.) Theologi hanc rationem urgent, inter Veteres AU-
 GUSTINUS Epist. LIV. ad Macedonium T. 2. col. 248. seq. Quod au-
 tem in epistola dicit: Verùm nunc, ut mores nostri sunt, & sceleris pœ-
 nam cupiunt sibi homines relaxari, & id propter quod scelus admissum
 est, possidere: pessimum hominum genus commemoras, cui pœnitendi
 medicina omnino non prodest. Si enim res aliena, propter quam pec-
 catum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed
 fingitur: si autem veraciter agitur, NON REMITTE TUR PECCATUM, NISI RE-
 STITUATUR ABLATUM, sed, ut dixi, cum restitui potest. --- Nolentes
 autem reddere, quos novimus, & male abstulisse, & unde reddant
 habere, arguimus, increpamus, & detestamur, quosdam clam, quos-
 dam palam, sicut diversitas personarum, diversam videtur posse reci-
 pere medicinam. Allegat postea col. 250. præsens exemplum. Qui
 verò contra jus societatis humanæ, furtis, rapinis, calumniis, oppres-
 sionibus, invasionibus, abstulerit, reddenda potius, quam donanda
 censemus, Zachæi publicani evangelico exemplo, qui cum hospitio Do-
 minum suscepisset, in vitam sanctam repente mutatus: Dimidium, in-
 quit, rerum mearum do pauperibus, & si cui aliquid abstuli, quadru-
 plum reddo. Plura sunt tibi lectu dignissima pro hæc materia. Hoc duce
 Scholastici Doctores thesin hanc & conclusionem, eamque orthodoxam
 proposuerunt: Restituere, quod est ablatum, est de necessitate salutis,
 apud Thomam 2 secundæ quæst. 62. art. 2. ubi sic disputat: Justitia in
 æqualitate consistit. Cùm ergò conservare justitiam sit de necessitate
 salutis, consequens est, quod restituere id, quod injustè ablatum est
 alicui, sit de necessitate salutis. Vid. ib. plura de quæst. utrum sit neces-
 sarium ad salutem, ut fiat restitutio ejus, quod ablatum est? B. D. Lu-
 therus, cum de injusto & fœneratore, digno qui excommunicaretur,
 sermo esset, additâ limitatâ quæstione, si pœnitentiam homo ageret?

C;

respon-

respondit in Colloq. Mental. edit. Francof. 1593. cap. 4. f. 62. a. Das hat seine Masse/ er muß aber ein Zacheus werden / und was er zu viel geraubet hat / wieder geben / denen ers abgeschunden hat / oder er büßet nicht recht. Nach beschriebenen Rechten kan ers auch nicht mit Recht und guten Gewissen behalten / geschweige denn nach Göttlichen Rechten. Und wer mit ihm isset und trincket / der machet sich theilhaftig an seinen Sünden. Et sane Politicorum & Jctorum rationes in natura & jure fundatas afferrem, nisi brevitatis prohiberet. Vid. Tractatus editi, & ante hos X. annos sub præsidio D. Linckens habita Disputatio Jac. Sigm. Schellhammeri, cui titulum dedit, *Judicium pro anima, quod ablatorum restitutione sive satisfactione peragitur.*

QV. V. *An teneantur ad restitutionem, qui damnum non prohibent, in necessitate furantur, in ludo lucrantur?*

XIII. Varii sunt casus dables, extra Sycophantiam Zachæanam, ubi restitutio necessaria est, sed in quibusdam cum limitatione, uti in memoratis casibus quibusdam obtingit. Sic (1.) *tenetur ad restitutionem, cui ex officio incumbit damnum prohibere; non tenetur, si damni prohibitio ei ex officio non incumbit.* Nam, qui officium habet. e. g. Judex, præfectus, minister, ut damnum proximi prohibeat, non tamen debitam vigilantiam & diligentiam adhibeat, utique tenetur ad restitutionem damni illati, quia illud, quod potuisset, non prohibuit, unde non alii, quam sibi suæque negligentiae damni restitutionem imputare potest. Qui vero ex officio non tenetur, & tamen damnum prohibere posset, e. g. noctu furem clamore abigere, peccatum ille contra septimum præceptum, quod conservationem bonorum proximi injungit, grande committit, attamen ad restitutionem non tenetur, quia ex officio ei non incumbit. Vid. Toletus lib. 5. instruct. Sacerd. cap. 21. n. 3. p. 805. (2.) *Non tenetur fur, qui in extrema necessitate alteri surripuit usu consumptibilia, ad restitutionem;* quamdiu enim in statu extremæ indigentiae adhuc versatur, non potest reddere ablata, debet autem restituendi propositum habere & retinere. Conf. B. D. Lutherus de furto in extrema necessitate licito Tom. VI. Witteb. fol. 249. *Tenetur autem fur ad restitutionem, quando ad pinguiorem venit fortunam, ubi ablata restituere potest.* Id. Tolet. lib. VIII. c. 36. n. 1. & 2. p. 1244 sq (3.) *Tenetur fur rem surreptam vero domino, in eodem necessitatis casu existenti, reddere, si dominus est*

est

est persona publica, ex cuius salute reipublicæ salus dependet, & res surrepta in ipsa Domini necessitate fuit; *non vero tenetur, si ante extremam domini necessitatem rem abstulit*, quia extrema necessitas, quicquid est in sua potestate, iuum facit. Toletus lib. 5. c. 24. n. 9. p. 817. sq. (4.) *Tenetur ad restitutionem, qui grandem pecuniæ summam in ludo lucratus est*, in primis si vis, aut fraus, aut subjecti incapacitas intervenerit; nec enim bona ab alienare possunt filius inscio patre, uxor ignorante marito, servus inscio domino. *Non autem tenetur, si juratò pactum lucri retinendi utrinque intervenerit*; tum enim pecunia ideò retinenda est, ne perjurium committatur. Toletus l. 5. c. 27. n. 9. p. 828. (5.) *Tenetur ad restitutionem, qui pecuniam in ludo ab ebrío lucratus est*: quia ebríus reputatur pro amente, ea verò, quæ quis ab amente lucratur restitutioni sunt obnoxia, eò quod is mentis non est compos. Toletus lib. 8. c. 61. n. 9. sq. p. 1296.

Qv. VI. *An Debitor pauperes Creditoribus debita reddere teneantur?*

XIV. Et hic casus occurrunt varii, non unò eòdemque modò decidendi. Nam (1.) *Debitor in extremâ necessitate positus, non tenetur ad restitutionem*, si creditor non est pauper & egenus, quia charitas incipit à seipsâ: *Tenetur autem debitor, si locupletior factus est*, quia tunc rem acceptam, si non eandem numero, æquivalentem tamen pretio, restituere creditori, & loco gratitudinis aliquid superaddere potest & debet. Vid. B. D. Balduinus in Cas. Consc. lib. IV. Cap. 17. cas. 11. p. 944. (2.) *Debitor, qui extremâ premitur pauperie, non tenetur ad restitutionem mutui*, quia mutuum aliquando fit eleemosyna, ut nihil inde speretur, juxta Luc. 6. 35. *Tenetur autem, si per artem sibi aliquid comparavit*: neque enim creditor mutuum dedit pauperi simpliciter, sed hoc loco ac tempore tantum indigenti, vires tamen ad id recuperandum habenti. Id. Balduinus ibid. cas. 12. p. 945. (3.) *Tenetur dives debitum, quod pauper suæ sustentationis gratiâ contraxit, solvere, dum pauper non est solvendo*. Etenim nemo tenetur simpliciter ad solvendum debita pauperis: nam si pauper est adhuc solvendo, si non jam, tamen futuro tempore, cùm per vires corporis, & artem quam didicit, tantum sibi comparare queat, quantum ad solutionem sufficit, alius pro iplo solvere non tenetur; at si planè non habet, unde vel jam vel in posterum solvat, ditiores utique ex lege caritatis ei succurrere tenentur. Bald
ib. cap.

ib. cap. 13. p. 946. (4) *Debitor pecuniam mutuam, pro se accipiens, & extremè indigenti dans, ad restitutionem illius obligatur, quia pro se accepit, non alio; sin pro extremè indigo mutuetur, non tenetur ad restitutionem; sed ipse potius indigus, cum ad meliorem pervenit fortunam. Toletus lib. 8. Instruct. Sacerd. c. 37. n. 2. p. 1247. (5.) Non tenetur debitor rem acceptam suis expensis creditori procul dissito mittere, si rem justè & bonâ fide accepit, sufficit enim illic ei solvere, ubi coram iudice competente conveniri potest: Tenetur autem, si rem injustè & malâ fide accepit, tunc enim damnum sibi imputare debet, quod malitiâ suâ sibi conciliavit. Toletus lib. 5. c. 25. n. 3. & 4. p. 821.*

Qv. VII. *Utrum simplex non sufficiat, ut duplum aut quadruplum restituendum sit?*

XV. De restitutione, speciatim Publicanorum, in jure Civili expressa habetur lex, *Hoc edicto, (5.) & Prator (1. n. 2. 3.) de publicanis & vectigalibus, (ff. 39. 4.) quod per vim rapta in quadruplum, per defraudationem ablata in duplum teneantur. Querentibus nobis, utrum duplum totum pœna sit, & præterea rei sit persecutio, an in duplo sit & rei persecutio, ut pœna simpli sit, magis placuit, ut res in duplo sit. Et paulo antel. cit. Prator è re putavit, & specialiter adversus publicanos edictum proponere. Quod quidem edictum in aliqua parte mitius est: quippe cum in duplum datur, cum vi bonorum raptorum in quadruplum sit, & furti manifesti æquè in quadruplum. In Jure Divino restitutio simpli, dupli, & quadrupli præcipitur, omni procul dubio fundata in diverso auferendi modo, & pœnæ auctione pro ratione culpæ. Nam in Numeris c. V. 7 præcipitur restitutio simpli, cum quinta ejus parte: *Confitebuntur peccatum suum, quod fecerunt, restituetq; (quisq;) reatum suum in capite ejus, & quintam partem ejus addat super illud, dabitq; cui reus factus est. Exodi c. XXI. v. 3. duplum injungitur: Sin inveniendò invenietur in manu ejus furtum, à bove usque ad pecudem, viventes: duplum restituet (tantum). Vers. 6. Si quando dabit vir socio suo argentum aut vasa ad custodiendum; sed furto (res) auferetur è domo viri: si inventus fuerit vir, duplum restituet. Vers. 8. Super omni re perditâ -- quem condemnabit DEus, restituet duplum socio suo. At cap. XXI. v. 37. quintuplum & quadruplum definitur:**

Quan-

Quando furatus fuerit vir bovem aut pecudem & mactaverit illud, aut vendiderit illud: quinque boves restituet pro bove, & quatuor pecudes pro pecude. Horum referri potest Zachæi exemplum, qui dixit ad Dominum: *reddo quadruplum.* Unde colligi posset, non sufficere simplicium, sed multiplicatum restitui debere, quod injustè ablatum est. Thomæ Aquinatis hæc est Conclusio sec. secund. qv. 62. art. 3. pag. 136. *Ante judicis condemnationem, non plus, quam quis accepit, restituere tenetur, sed ex culpâ injustæ ablationis, tenetur secundum judicis sententiam restituere.* Quam ita confirmat: *Cum aliquis injustè accipit rem alienam, duo sunt ibi consideranda: quorum unum est inæqualitas ex parte rei, quæ quandoq; est sine injustitiâ, ut patet in mutuis. Aliud autem est injustitiæ culpa, quæ potest esse etiam cum æqualitate rei: putacum aliquis intendit inferre violentiam, sed non prævalet. Quantum ergo ad primum, adhibetur remedium per restitutionem, in quantum per eam æqualitas reparatur: ad quod sufficit, quod restituat tantum, quantum habuerit de alieno. Sed quantum ad culpam, adhibetur remedium per pœnam, cujus inflictio pertinet ad judicem. Et ideò, antequam sit condemnatus per judicem, non tenetur restituere plus, quàm accepit. Sed postquam condemnatus est, tenetur pœnam solvere.* Eò quoque tendit H. Grotii conciliatio restitutionis Zachæanæ cum lege Divina, ad Luc. 19. 8. quando scribit, Legem non obstrinxisse, nisi in judicium adductos, quibus quadruplum, tanquam pœna inficiationis illata sit: cum alioqui, si quis ante judicium facti pœnitentia duceretur, culpâ absolutus sit, ut restitueret simplicium & quintam partem ejus, quæ successerit in locum incertæ æstimationis damni, furtum consequentis. Pœnam autem quadrupli locum non habuisse, nisi post alienationem rei surreptæ, cum alioqui reus, duplum tantum solvens, liberatus sit, juxta Exod. 22. 4. Unde concludit, Zachæum imitatione ejus, quod erat in lege, non ex lege ipsâ, quadruplum restituisse. Non enim legitur vi rapuisse bona aliorum, sed dolis & fraudibus, inquiens *ἔσυνοφάντησα.* Quare judicio D. Sculteti in Exercitt. Evangg. lib. I. c. 19. p. 52. Zachæus in hoc casu, quod simpliciter & non adhibita vi defraudasset, se quadruplum restituere gloriatus est. At, non gloria, sed vera & seria pœnitentia ultroneam quadrupli oblationem causata est, ut, quod juxta legem non tenebatur, sponte redderet cum fœnore, iis, quos defraudaverat. Sibi ipsi enim pœnam dictavit pro culpâ, & simul restituit,

D

tuit,

tuit, quæ interea temporis, malè partis & retentis ad lucrum utendo, possessoribus veris cessura fuissent in commodum & usum fructum, cujus loco damnum senserunt. Non igitur ex Zachæi exemplo, neque ex lege judiciali, quæ abrogata est, & vim obligandi hodiè non habet, firmiter colligi potest, pro simplo restituendum esse quadruplum; sed pro ratione culpæ, & modi auferendi, retentionisq; alienorum duratione, tum iudex, tum pœnitens, ablatorum restitutionem dijudicant. Certè conveniens est *justitiæ*, ut raptor damnum resarciat, & pro furto pœnam quoque sentiat; *pœnitentiæ* autem, ut qui seriò agnoscit furtum, nihil retineat ablatorum, nec commodorum ex ablatiis redundantium, sed hæc & illa restituat, unde duplum, & plus eò interdum, utiq; restituendum erit, si res cum rigore agatur; quamvis communiter sentiant Doctores, non teneri raptorem restituere illud, quod quis re aliena lucratus fuit. Vid. *Azorius Part III. Instit. Moral. lib. 4. cap. 20.* Aliter se habet cum illo, qui abstulit & dilapidavit, nec habet, unde reddat; quia enim ad impossibile obligatur nemo, ideo propositum restituendi cum vera pœnitentia huic incumbet, utpote cujus fructus est emendatio, quæ non potest non esse conjuncta, cum proposito satisfaciendi & restituendi quoquo modo ablata.

Qv. VIII. *An restitutio ablati ad expiationem peccati sit necessaria?*

XVI. Zachæus exponendo pauperibus dimidium bonorum, & quadruplum restituendo, non expiare peccata injustitiæ his operibus voluit, sed veram & seriam suam pœnitentiam re ipsa declarare. Nam (1.) expiatio peccatorum in solo Christo unice quærenda est, qui est *ἱλασμός pro peccatis nostris*, & non tantum pro nostris, sed etiam pro totius mundi, 1. Johan. II. 2. Gloria igitur, quæ Christo, ejusque merito sufficientissimo debetur, minimè alteri tribui debet, Jesai LXIII. 3. 1. Petr. I. 19. &c. (2.) Zachæus fide in Christum remissionem peccatorum accepit, antequam bona aliena restitueret; non igitur merito operum & liberalitate coram DEO remissionem peccatorum consecutus est. Fides enim in Christo ejusque meritò gratiam Dei oblatam apprehendit & applicat, & cum eâ quoque remissionem peccatorum, quæ solis credentibus obtingit, Actor. X. 43. &c. (3.) Restitutio ablatorum est fructus fidei in Christum, peccatorum expiatorem, ad cujus demonstrationem, quod vera sit, bona opera necessaria sunt, in quibus meritò restitutio numeranda

anda

anda est. Fides absolvit veram pœnitentiam, cujus indissolubilis effectus est nova obedientia, & vitæ emendatio, quæ restitutionem etiam requirit, teste Ezechiele cap. 33. 15. *Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque judicium & justitiam, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit, nec fecerit quicquam injustum, vita vivet, & non morietur.* Ubi inter fructus pœnitentiæ perspicuè requiritur etiam bonorum alienorum restitutio. Quare, qui veram agit peccatorum pœnitentiam, non potest se continere, quin aliena bona (si modò adhuc præsto sint) legitimè restituat. *Brentius in c. 19. Lucae Homil. 28 p. 280.*

Qv. IX. *Anne sufficiat, loco restitutionis, satisfactio per eleemosynas?*

XVII. Multi in communi vitâ ita existimant, quando per fas nefasque cum Zachæo opes corraferunt, & in concionibus audiunt ac sentiunt fulmina, in avaros, impostores, usurarios, injustos, evibrata, se rectè sibi suæque conscientiae consulere non posse, quam si ad pias causas de malè quæsitis aliquid destinant, aut per eleemosynas satisfaciant pro rapinis & imposturis. Et sunt, qui pro hac eleemosynariâ satisfactione ex bonis iniquè partis afferunt locum Luc. XI. 39. 41. *Quod intus est vestrum, plenum est rapinâ & iniquitate: veruntamen, quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quæ verba non aliter sonant, ac si pro injustitia opus eleemosynæ satisfaciat. Quem errorem *Gvido Carmelita* Græcis tribuit, notante *Lassio lib. 2. de jure & justit. cap. 7. Dubit. 10.* At, quod talis Satisfactio Verbo DEI non congruat, nec hominem mundet à peccatis, sed potius peccatis magis magisque implicet, ex sequentibus patescit. (1.) Quia Deus ipse sacrificia eodem fine ac scopo oblata prohibuit Deuter. XXIII. 18. *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domum Domini Dei tui, quicquid illud est, quod voverint, quia abominatio utrumque est apud Dominum Deum tuum.* Ex quo loco *Siracides* eleemosynam talem, tanquam abominationem coram Deo detestatur cap. XXXIV. 24. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui: panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.* (2.) *B. D. Balduinus* in *Casibus Conf. lib. IV. c. 3. c. 8. p. 712.* tres rationes in contrarium affert: Primùm bona pauperum iniquè acquisita secum retinent, & sic aliorum sanguine & sudore saginantur: deinde de peccato suo nondum seriò dolent, sed in iniquitate sua pergunt; sin seriò dole-

rent, ne ad momentum amplius rapinas illas secum tolerare possent: denique Deum fallere tentant hypocritæ, quasi cum hoc sacrificio suarum eleemosynarum reconciliare possint. (3.) Chryostomus huic opinioni hominum iniquorum etiam contradicit Homil. 57. in cap. 17. Matthæi f. 167. b. *Sed quænam est multorum excusatio? Fœneratus sum, ajunt, sed pauperi obtuli. Bona verba, quæso, talia Deus sacrificia non accipit. Noli cavillari legem. Multo melius est, non dare pauperi, quàm hoc modò dare. Quod enim justis laboribus collectum argentum est, propter hos iniquos fœtus plerumque contaminas, quasi quis fœcundum cogat uterum scorpiones parere. Vid. seqq. & præced. ibidem lectu dignissima. Nec obstat locus ex Lucâ allegatus, licet quidam Græci, & Latini, teste Augustino lib. 21. de C. Dei c. 22. & Pontificii Alphonsus à Castro, & Belarminus lib. 4. de Pœnit. c. 8. inde concludant, eleemosynam mereri remissionem peccatorum, & redimere posse pœnam. Nam (α) Verba Christi ironicè accipienda sunt, non propriè, juxta Hieronymum, Cajetanum, Erasmus, Saa, Stellam, Lightfootum &c. quomodo opinionem satisfactionis & meriti potius evertunt, quàm stabiliunt. Nam Pharisei, intus pleni rapina & scelere, putabant, si darent eleemosynam de eo, quod injustè raperant, omnia munda & pura esse, parum solliciti de vita in melius mutanda: Quod cum Salvator h. l. reprehendat ironiâ, sensus verborum est: *Minimè, ut vos putatis, eleemosynis, sine pœnitentia datis, peccata expiabit.* Sive, ut verbis Brentii ad h. l. exponam: *Agite vos Pharisei, mundate calices, lavate manus, & quod superest in cibo, pauperibus distribuite, alioqui canibus aut porcis objiciendum, & existimate, vos omnes rapinas vestras, & alias iniquitates probè expurgasse, atque vos hac eleemosyna ab omnibus peccatis emundasse. Sed quid? nunquid ergo, quia vos ita existimatis, Deus sententiam vestram approbabit, & omnia vestra munda judicabit? Nihil vero minus. Qui enim odio habet holocaustum ex rapinâ oblatum, quomodo is non etiam abominaretur eleemosynam ex rapinâ distributam.* (β) Licet verba simpliciter & absque ironiâ accipiantur, nihil juvat sententiam contrariam. Non enim mens Christi est, quod eleemosynâ rapinæ & fraudes hominum iniquorum compensari queant, eaque sufficiat ad peccatum eluendum: hoc enim, ut ait Brentius, pugnaret contra universum evangelion Christi: sed Phariseos hortatur, ut ante omnia id, quod *intus* est, per veram pœnitentiam purgent, & post de eo, quod *foris* est, eleemosynas largiantur, tunc enim fore, ut omnia ipsis munda sint, *intus & extus, & neque esculentis neque**

neque potulentis contaminentur, quia alioqui immundis nihil sit mundum, Tit. 1, 15. (γ) Christus non dicit, *Vos mundi estis*, sed, *Omnia vobis munda sunt*. — Loquitur ergò de rebus potissimum externis, à quibus non sit ipsis metuenda ulla immundities, si præceptum dilectionis & beneficentiæ erga proximum tam studiosè observaturi sint, uti hæctenus traditionem de expurgandis patinis observaverint. Vid. pluribus Brentius *c. l. Hunnius T. 1. Opp. cat. p. 1503. sq.* Gerhardus *in Confess. Cathol. lib. 2. spec. part. 3. art. 23. c. 8. thes. 2. argum. 12. p. 1553.* Glassius *lib. 5. Philol. a. tract. l. c. 4. p. 86.* Chamier. *Tom. 3. Panstr. lib. 23 c. 9. §. 11-15. p. 492.* Beza, Lightfotus, & alii Interpretes h. l.

Qv. X. *Utrum Restitutio alienorum bonorum cesset, ubi detrimentum vitæ & famæ intercedit?*

XVIII. Cajetanus secund. sec. quæst. 63. art. 2. de hac re ita disputat, quod res inferioris ordinis, uti sunt bona externa & pecuniæ, restitui non possint, cum detrimento rerum superioris ordinis, uti sunt vita, honor, & existimatio nostra, quæ læderentur, illarum restitutione. Et sic Innocentius P. Rom. *c. officii de pœnitentiis & remissionibus* (Decretal. l. 5. tit. 38. c. 9.) videtur rem determinare, quod fama præferenda sit bonis temporalibus. Nec inter nostrates D. Balduinus in *Cas. C. simpliciter* negat, sed potius *c. l. pag. 714.* certos casus affert, in quibus locum habere possit, ut restitutio cesset, vitâ aut famâ periclitaturâ. Nimirum α. cum restitutâ pecuniâ creditor sicarium fortè contra proximum conducturus esset. β. cum restitutô ense aut sclopeto creditor alium interfectorus & læsurus esset. γ. cum furiosus reposcit pugionem, à quò periculum est metuendum. δ. cum fama & honor boni viri periclitatur, qui bonâ fide ablata possidet, &c. Sed addit tamen atque docet, quod in his & aliis casibus nihilominus ablata sint restituenda, imprimis cum occasiones dentur, vel retinendi ad tempus; donec damna nostra & aliorum avertantur, vel mutandi debitum in donationem, vel alio modò instituendi restitutionem, sine læsione famæ, honoris, & vitæ, e. g. si quisquam per concionatorem mittat ablatum alicui vel heredibus ad quos pertinet, tacito nomine, quasi patri ipsorum debuisset, &c. Quamvis etiam restitutio rei alienæ vel dolo vel vi ablata, ignominiosa, in oculis hominum videatur; tamen in oculis fidelium Christianorum verè gloriosa est, quorum proprium est, benefacere, & malè audire: Imò rem alienam retinere, hoc demùm ignominiosum, & pœnâ quoque dignum est. Vid. pluribus Bal-

duinus c. l. p. 714. ubi casum addit, quando nulli heredes reperiuntur, scilicet, quod tunc eleemosyna pauperibus danda sit, sed tanta, quæ respondeat bonis injustè partis, & cum hâc cautione, ne quis sibi persvadeat, se eleemosyna ista satisfacere pro rapinis suis, sed potius, ut delictum agnoscat, doleat, deploret, & remissionem petat propter Christum, cum emendatione vitæ. Plura ζητήματα qui desiderat, adeat Thomam c. l. & alios.

SECTIO III.

PORISMATICO - PRACTICA.

XIX. PORISMA I. *Verbum Dei efficax est.* Demonstr. (1.) *exemplô Zachæi*, qui *σαθεὶς* sistit sese Christo, nihil moratus hominum murmuraciones, qui dicebant, Christum divertisse apud peccatorem, sed ingenuè & apertè confessus, se magnum peccatorem fuisse. Hæc confessio & pœnitentia fructus & effectus est verbi Christi, Jerem. XXIII. 29. Jac. I. 18. (2.) *ex Dictis S. Scripturae*, 1. Petr. I. 23. 1. Thessal. II. 13. Johan. VI. 63. Hebr. IV. 12. Rom. I. 16. Jac. I. 21. Psalm. XIX. 8. 9. 2. Timoth. II. 25. &c. (3.) B. Lutherus Tom. VI. Altenb. pag. 968. 969. Wer hat der offenkundigen Sünderin das Herz so bald geändert? hat es nicht das Wort gethan/ das sie von Christo hörete? desgleichen da Zachæus bisher Lust und Liebe gehabt hatte zu unrechten und wucherischen Händeln/ hatte geschunden und geschabet/ verheisset er den Armen die Helffte seiner Güter zu geben. Paulus wird auch alsbald anders/ da Christus mit ihm redete/ verheißt/ er wolle thun/ was er soll/ und sein Fürnehmen unterlassen.

XX POR. II. *Fides non est otiosa, sed negotiosa.* Demonstr. (1.) *Exemplô Zachæi*, qui fidem negotiosam testatur bonis operibus, & charitate erga pauperes. (2.) Galat. V. 6. *Fides per charitatem operatur*, cujus exemplum h. l. Zachæus est. (3.) Fides cum Christo uniens, non sinit esse infructuosum, teste Christo Johan. XV. 5. *Qui manet in me, & ego in eô, hic fert fructum multum.* Fieri enim non potest, ut in illis otiosus sit Spiritus Christi, quos ipse ex Verbi æterni semine in Filios Dei regenuit. Conf. Jacob. II. 14. 17.

XXI. POR. III. *Opera fidei Legi Divine congrua sunt.* Demonstr. (1.) *Exemplô Zachæi* qui fidem in Christum bonis operibus testaturus, non sacrificiis, non vestis mutatione, non peregrinationibus, non statis jejuniis, non electione ciborum, aut similibus non præceptis operi-

operibus, palam facit & comprobat; sed α . obedientiâ quâ Christum vocantem absque morâ secutus est. β . gaudio & hilaritate animi, quæ fructus est justificationis, Roman. V. 1. 2. γ . misericordiâ & liberalitate erga pauperes. δ . restitutione ablatorum & justitiâ, quibus & aliis obedientiam legi debitam ostendit, quæ totum hominem ita Deo subjicit, ut procul relictis, imò etiam calcatis suis desideriis, utcunque splendidis & justis in speciem, ab illius voluntate pendeat, nec quicquam bonum, sanctum & justum putet, quàm quod cum illâ videt convenire. (2.) Lex renatis & justificatis est norma faciendorum, non enim, quæ quisque bonâ intentione ipsemet excogitat, aut quæ secundùm traditiones fiunt, sed quæ Deus ipse in Verbo suo præscripsit, opera demùm verè bona sunt. Deut. 12. 8. & 32. Jes. 1. 12. Ezech. 20. 18. sq. (3.) Brentius ad c. 19. Luc. *Vera fides non scrutatur opera ab humanâ tantum ratione excogitata, sed superstitiosa, sed pia, sed verbo Domini præcepta.*

XXII. POR. IV. *Fides justificans non est sine verâ pœnitentiâ.* Demonstr. (1.) *Exemplô Zachæi*, qui ingenuè confitetur, se fuisse impostorem & defraudatorem, h. e. furem, *si quem*, inquit, *defraudavi, reddo.* (2) *Desiderio Zachæi*, quærebat enim Jesum videre. *Cum autem Scriptura dicit de Zachæo* (verba sunt Brentii) *quærebat Jesum videre, haud obscure significat, Zachæum agnovisse peccata sua, & cogitasse se tot scelera & fraudes non semper coram Deo impune laturum, audivisse autem, quod quidam, Jesus nomine, obambularet, quem homines dicerent esse Christum, qui remittat peccata, & polliceatur hominibus regnum Dei.* (3.) *Testimonio Christi*, qui h. l. de Zachæo perhibet, quod fuerit perditæ vitæ, ait enim postea: *Filius hominis venit quærere & servare, quod perierat.* (4) *Dictô Christi* Marc. 1. 15. *Pœnitentiam agite, & credite Evangelio.* Quibus verbis partes pœnitentiæ essentielles, *Contritionem & Fidem* complexus est. (5) B. D. Lutherus in Instruct. Visitatorum Tom. VII. Alt. ub. p. 11. a. *Wenn man vom Glauben prediget/ soll man allewege die Leute unterrichten/ wo Glauben seyn möge/ und wie man darzu kommt. Denn rechter Glaube kan nicht seyn/ wo nicht rechte Reue ist/ und rechte Furcht und Schrecken für Gott. Dieses Stück ist sehr vonnöthen den Leuten fürzuhalten. Denn wo nicht Reue und Leid über die Sünde ist/ da ist auch nicht rechter Glaube. Item p. 12. a. Also erlangen wir mit dem Glauben Vergebung der Sünde. Aber solcher Glaube/ wie oft gesagt ist/ kan nicht seyn/ wo nicht vorhin Reue und Leid ist.* Denn

Denn

Denn Reu ohne Glauben ist Judas und Sauls Reue/ das ist/ Verzweiflung: Gleichwie Glaube ohne Reue Vermessenheit und fleischliche Sicherheit ist/ wie hernach folgen wird. Ibid. col. b. Es muß Reu und Glauben bey einander seyn. Denn Reue ohne Glauben bringt Verzweiflung/ wie in Judas und Saul: So kan man auch warhafftigen Glauben ohne Reu nicht haben.

XXIII. POR. V. *Fides justificans non est sine vera pœnitentiæ fructibus.* Demonstr. (1.) *Exemplo Zachæi*, qui injustus & impostor fuerat, per fidem in Christum autem coram Deo justificatur, quod ut ab hominibus cognoscatur, exterius per bona opera, quæ fidei fructus sunt, ostendit atque demonstrat, pauperibus dimidium bonorum largiendo, & ablata suis Dominis restituendo. (2.) *Testimonio Johannis Bapt.* Matth. III. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* (3.) Non est vera & viva fides, nec est vera pœnitentiæ, quæ caret suis effectis & fructibus, aliàs inseparabilibus. (4.) Benè h. l. Brentius, f. 279. b. *Cum Zachæus jam renatus esset in Christo, & accepisset remissionem peccatorum propter Christum per fidem, tantum abest, ut pristina sua peccata deinceps seletur, ut ea summò odio detestetur, & optima quæque justitiæ opera faciat. Ut enim lucerna, quamprimum accenderit, nequit se continere, quin ex omni parte lucem suam spargat: ita postquam fides in Christum concepta est, fieri non potest, quin lux bonorum operum ex eâ effulgeat. Da ignem, qui non calcet, & dabis etiam veram fidem, quæ non ad faciendâ bona quævis opera ardeat.* Conf. B. Lutherus in Præf. Epist. ad Roman.

XXIV. POR. VI. *His fructibus, tanquam signis certissimis, testanda est Pœnitentiæ.* Demonstr. (1.) *Exemplò Zachæi*, qui pœnitentiæ suam testatur & palam facit a. *confessione peccatorum*, inquit: *& si quid aliquem defraudavi. B. emendatione vitæ*, qui enim antea cymnopristes erat, tam liberalis efficitur, ut nullo jubente, nullo cogente, nullo admonente, spontanea voluntate dimidium bonorum pauperibus expendat, & bona ablata restituat. *γ. Charitate erga pauperes &c.* (2.) *Exemplo Israëlitarum*, 2. Sam. VII. 6. Jud. X. 10. *Davidis* 2. Sam. XII. 13. *Publicani* Luc. XVIII. 13. *Baptizati à Johanne* Matth. III. 6. qui confessione: *Israëlitarum*, qui jejuniis Esdr. VIII. 21. Judic. XX. 26. humi- cubatione, Daniel. IX. 18. (3.) *Dictis*, in quibus signa pœnitentiæ leguntur. *jejunium* Joël. II. 12. 13. *lacrymæ* Jac. 4. 9. *cilicium*, Psal. 35. 13. & 69. 12. *Planctus* Joël. I. 13. Jer 4. 8. Vid. Epitome mea Bibl. de pœnit. P. III p. 483. sqq.

XXV.

XXV. POR. VII. *Nec Divitibus pœnitentia & salus abjudican-
da, licet difficulter ii salventur.* POSTERIUS patet (1.) ex dicto
Christi Luc. 18. 24. 25. *Quam difficulter, qui possessiones habent, ingre-
dientur in regnum DEI? facilius namque est, camelum per foramen acus
intrare, quàm divitem in regnum DEI intrare.* (2.) ex *statu divitum*,
plerumque opibus ad luxum & superbiam abutentium, cœlestia conte-
mmentium. PRIUS patet (1) *exemplo Zachæi*, quem Christus idè sibi
deligit, ne de salute suâ divites facilè desperent. (2.) *dicto Christi* Luc. 18.
27. mirantibus discipulis respondentis: *Quæ impossibilia apud homines,
possibilia (sunt) apud DEUM.* (3.) *ex gratia DEI universali*, quæ omni-
bus, etiam opulentis, communis est, salutis humanæ firmissima basis.
(4.) *ex divitum exemplis*, quibus opes nullum adè impedimentum fue-
runt, ut potius in illis virtutum pulcherrimarum, inprimis beneficentiæ,
materiam habuerint, sicut in Abrahamo, & pluribus aliis videre est.

XXVI. POR. VIII. *Acquiruntur plerumque Divitiae modis illi-
citis.* Demonstr. (1.) *Exemplo Zachæi*, qui ut habuit possessiones here-
ditate acceptas, ita cupidus divitiarum omni modo, per fas & nefas, pecu-
niam corrasit & collegit, idque confessus est h. l. *Si quid aliquem de-
fraudavi.* (2.) *Dicto Pauli* 1. Timoth. VI. 9. *Qui volunt divites fieri,
incidunt in tentationem & laqueum &c.* Quia enim divitiarum cupidi
nihil non tentant, animum ad artes pravas propendentem Tentator suis
stimulat suggestionibus, & nihil non divitiarum causa agendum, fraudi-
bus perjuriis, rapinis, defraudationibus proximi, aliisque modis conge-
rendi divitias, utendum esse svadet, ut in laqueum incidant.

XXVII. POR. IX. *Modus acquirendi fures & impostores in
unum Catalogum refert.* Demonstr. (1.) *Exemplo Zachæi*, qui ma-
nifestum furtum non commisit, invito Domino possessiones auferens, inte-
rim fraudibus & imposturis aliorum bona ad se trahens, sub prætextu ac
specie recti atque justi, idque non diffitetur. (2.) *ex definitione furti*, quod
est injusta rei alienæ, invito domino, ablatio, quomodocunque fiat, sive
manifestè, sive occultè, fraude & sub specie justi. Vid. Interpretatio VII.
præcepti. Lucas Osiander ad h. l. *Ergo impostores & fures coram DEO
in uno eodemq; catalogo ponuntur.*

XXVIII. POR. X. *Furtum est, non tantum auferre rem ali-
enam, sed etiam retinere.* Demonstr. (1.) *Exemplo Zachæi*, qui in-
justè ablata, possedit, retinuit, usurpavit, & pro suis habuit, cum essent
aliena, ideo utroque modo fur fuit, & auferendo, & retinendo bona ali-

E

ena,

ena. (2.) *ex prohibitione septimi præcepti*, quæ omnem furti speciem, sub quâ retentio bonorum alienorum continetur, in suo complexu tenet. Brentius h. l. *Hac lege, Non furaberis, exigitur, ut aliena bona non solum non auferas, verum etiam invitò Domino sciens ac volens non retineas.* Et mox postea: *Peccatum est, non solum aliena bona illegitimè per furtum aut imposturas auferre, sed etiam aliena bona illegitimè retinere.* Ille enim qui rapit alienam conjugem, non solum peccat rapiendo, sed etiam retinendo, & judicandus est raptor, non tantum in rapiendo, sed etiam in retinendo, ita qui aufert aliena bona illegitimè, non tantum fur est auferendo, sed etiam retinendo.

XXIX. POR. XI. *Unde qui vis ad restitutionem sese offerre debet.* Demonstr. (1.) *Exemplo Zachai*, qui agnovit, ea, quæ per sycophantiam aliis auferuntur, furti speciem habere, propterea ipsum non pudet confiteri, seque ultro ad reconciliationem & restitutionem offert, & *ſαδεις* expectat, ecquid Christus ulterius in verbo suo injungere velit. (2.) *ex lege præcepti septimi*, quæ justitiam injungit in negotiis mundanis, & proximi bona custodire, omneque damnum & jacturam avertere jubet, B. Luthero interprete. (3.) *ex dictis & exemplis S. Scripture*, quæ severè id monent atque urgent, uti ex quæst. 4. Sect. 2. §. 12. videre est. (4.) *ex ratione*, quia sine restitutione nulla vere pœnitentia esse potest. Quod vid. ibidem latius.

XXX. POR. XII. Quippe, *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Demonstr. (1.) *Exemplo Zachai*, qui restitutione ablatorum, tanquam fructu veræ suæ pœnitentiæ, testatur, sibi fide in Christum remissa esse peccata. Hoc restituendi proposito si destitutus fuisset, certè peccata ipsius non remissa fuissent. (2.) *ex Consequentia*: Ubi enim non est restitutio, ibi non est agnitio peccati & contritio; ubi non est contritio, ibi est continuatio peccati; ubi est continuatio peccati, ibi nulla vera est fides; ubi nulla est fides, ibi nulla est gratia, & remissio peccatorum. Breviter: Ubi non est pœnitentia, (fides & contritio, inseparabiliter connexæ,) ejusque per fructus demonstratio, ibi peccati remissio sperari & expectari nequit. Brentius h. l. *Vides perspicuè, quod inter fructus pœnitentiæ, requiratur etiam alienorum bonorum restitutio.* Quare, qui veram agit peccatorum pœnitentiam, non potest se continere, quin aliena bona legitimè restituat.

XXXI. POR. XIII. Quare, *Restitutio alieni necessaria est, eaq; sollicitè, plenè, promptè & citò fieri debet.* Demonstr. (1.) *Exemplo Zachai,*
qui

qui non expectat & cunctatur, donec restitutio postuletur, sed α Deis ille, injussus, promptus, restituit plenè & cito, quæ aliena erant. (2.) *ex ratione*: nam restitutio non sufficit, nisi & modus restitutionis probe observetur, qui in eo consistit: α . ut fiat *solicite*, eundo per omnia bona, quo titulo sint acquisita, propria an aliena sint, an conscientiam relinquant pacatam, ut adeò rigorosum examen instituatur. β . *Plenè*, ne quid injusti remaneat, sed omne bonum injustè quæsitum, tanquam onus, tollat. *Qui* enim unum alienum reddit, alterum retinet, conscientiam ob hoc malam itidem retinet. γ . *Promptè*, & cum intimo quodam desiderio, non reluctantante voluntate. δ . *Citò*, ut eo citius vermis conscientiae aboleatur, qui tam diu eam rodit, quamdiu bonum alienum possidetur ac retinetur.

XXXII. POR. XIV. Igitur *Qui non restituant, sed retinent aliena, veram pœnitentiam non agunt.* Demonst. (1.) *Exemplo Zachæi*, qui restitutione alieni pœnitentiam suam testabatur. Vid. Por. 6. §. 24. (2.) Non is peccare desinit, qui alienum retinet. (3.) *Exemplum Zachæi* docet, quid illis faciendum sit, quos peccatorum pœnitet, nimirum resarcire damna aliis illata, quod ipsa natura docet. Contra naturam est, inquiunt Jurisconsulti, locupletari aliquem cum alienâ injuriâ, annotante h. l. Grotiô. Ergò, qui non restituant, sed retinent bona aliena, nondum eos pœnitet peccati, quod commiserunt.

XXXIII. POR. XV. *Neminem igitur pudeat, agnoscere & fateri peccata.* Demonst. (1.) *Exemplo Zachæi*, qui corde agnovit, & ore confessus est fraudes & sycophantias commissas. (2.) Agnoscere & fateri peccata, coram Deo est gloriosum, nec dedecus infert confitenti. (3.) *Pudor* coram hominibus est fructuosus, affert enim humilitatem salutarem, DEO gratam, homini utilem.

XXXIV. POR. XVI. *Utile est, ut peccator sibi aliquid pœnæ nomine dictitet.* Demonst. (1.) *Exemplo Zachæi*, qui in judicio non convictus, sponte quadruplum reddit, quod non debebat ex lege ipsâ. Nam cum judicem non haberet, ipse judicis personam assumens sibi pœnæ loco dictitat restitutionem alieni ultra debitum. (2.) Hoc pœnæ nomine peccator testatur, quantopere sibi peccatum displiceat. (3.) Apostolus ait I. Corinth. XI. 3. *Si nos ipsos dijudicaremus, non judicaremur.* (4.) Grotius ad h. l. non indoctè: *Hoc inter illa est, de quibus nulla exstet lex definita, sed quæ potentior omni lege Spiritus dictat.*

XXXV. POR. XVII. *Sed eo ipso peccatum expiari non potest.* Demonst. (1.) *Exemplo Zachæi*, qui expiationem peccatorum suorum fide in

Christum quærit. (2.) Fidem & pœnitentiam Zachæus testatur emendatione vitæ, & speciatim restitutione bonorum alienorum. (3.) Expiatio peccatorum unice in Christo invenitur, qui propitiatio est pro peccatis nostris. Vid. plura Sect. 2. Quæst. 8. §. 16.

XXXVI. POR. XVIII. *Neg, ex furto eleemosynas dare licet.* Demonstr. (1.) *Exemplo Zachæi*, qui non ex rapinis & ablatiis pauperibus subveniebat, sed ex possessionibus hereditate acceptis aut recte quæsitis. Vid. Sect. 2. qu. 3. §. 11. (2.) Roman. III. 8. *Nonsunt facienda mala, ut eveniant bona.* (3.) Jesai. LXI. 8. *Ego Jehovah, amans judicium, odio habens raptum per iniquitatem.* Eleemosyna ergo inde depromta DEO abominatio est. (4.) Sirac. 34. 18. *Sacrificans ex injusto ejus oblatio est ridicula, &c.* Vid. Sect. 2. quæst. 9.

XXXVII. POR. XIX. *Multominus retentionem alienorum per eleemosynas compensare fas est.* Demonstr. (1.) *Exemplo Zachæi*, qui bona aliena non retinet, nec retenta per eleemosynas aut liberalitatem sanctificare præsumit, sed restituit ablata, etiam cum fœnore. (2.) Bona aliena retinere, & portionem eorum in pauperes erogare, non tranquillat conscientiam, nec possessionem injustam sanat: quia bona aliena restituenda sunt, & eleemosyna ex malè quæsitis DEO displicet. (3.) Chrysostomus Homil. 86. in Matth. *Christus non vult rapinâ nutriri.* Hinc eleemosynam ex rapto vocat *judaicam & diabolicam* ibidem. Nec obstat locus Luc. XI. 39. 41. uti § 17. dictum.

XXXVIII. POR. XX. *Eleemosynas in pauperes erogare, fidei & pœnitentiæ fructus est.* Demonstr. (1.) *Exemplo Zachæi*, qui hoc fine dimidium bonorum pauperibus dabat, ad testandam fidem & pœnitentiam suam. Vid. Por. 5. & 6. §. 23. seq. (2.) Brentius h. l. fol. 280. a. *Discamus in Zachæo, legitimum pœnitentiæ fructum esse, pauperum necessitati subvenire, quâ in re, etiamsi Verbum Domini nullam certam pecuniæ summam, aut operis actionem definit, ubi tamen vera est fides & charitas, ibi fieri non potest, quin, quacunq; occasione liceat, pauperi succurratur.* Vid. ib. dicta Scripturæ allegata.

XXXIX. POR. XXI. *Eleemosyna tunc habet locum, ubi restitutio est impossibilis.* Equidem restitutionis debitum semper manet; sed quando plane impossibilis est, pœnitentia agenda, à læso proximo remissio petenda; obligatio ad restituendum, si Deus adjuvet, facienda; propositum quoq; sincerum restituendi semper adesse debet. Martinus Titius in Expl. verb. *Peccatum non dimittitur*, scribit: *Repeto, restituenda esse iniquè*

quæ

quæ ablata, restitui si possunt. Et repeto hoc ideo, ut eorum consulatur conscientis, qui inique parta vel nepotatu decoxerunt, vel quibuscunq; etiam id factum modis mediisq; amiserunt planè, ut reddere non possint. His propositum restituendi sufficit, acturis seriam pœnitentiam. Conf. B. Arnd. in Christian. l. 2. c. 29. Dilherr in via sal. p. 1. c. 9. Interea elemosyna eroganda est, non ad satisfaciendum, sed ad probandum animum in restituendo promptum, si possibile esset, & commovendum pauperes ad preces pro benedictione consequendâ.

XL. POR. XXII. *Habet quoq; locum Liberalitas, cum restitutio est possibilis, sed desunt, quibus ablatum restituatur.* Nam 1. si promptus est animus ad restituendum, erunt semper, qui restitutionem, sub quocunq; titulo, recipiant, si non amplius præsto sunt, quibus restitutio debetur. 2. Consilio utendum prudentum & piorum hominum, qui informare possunt, ut bona aliena ad pias causas, stipendia, hospitalia, aliaq; pauperum emolumenta, leganda & utiliter administranda sint.

XLI. POR. XXIII. *Christo dandum, qui sumptuosissimus hospes est.* Demonstr. (1.) *Exemplo Zachæi, cui hospes ab eo receptus cor ita movet, ut dimidium bonorum membris ipsius fruendum donet, & insuper quadruplum restituat.* (2.) *Præcepto Christi, qui ab adolescente divite exigit: Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* (3.) Ubi amor divitiarum vocationem DEI impedit, vel tota omnium facultatum summa deserenda est, & DEO obsequendum. (4.) Qui verò credunt, & charitate non simulatâ ducuntur, in liberalitate sibi ipsi legem dare possunt, quantam portionem ex facultatibus pauperibus largiri debeant: nam iudicium & determinatio juxta fidem & charitatem instituitur. Conf. 2. Corinth. VIII. 12. ad 15. Luc. 21. 2. sq.

XLII. POR. XXIV. *Bona autem temporalia ita usurpanda sunt, ne spina fiant conscientis.* Demonstr. (1.) *Exemplo Zachæi, qui cupidus divitiarum in laqueos incidit, & per corraisionem pecuniæ sycophanticam, cor suum aggravavit, & conscientiam graviter vulneravit.* (2.) Bona temporalia sunt DEI probæ & experimenta, quibus tentat homines, utrum se, an terrena pro scopo habeant, sibi, an illis magis affectu cordis adhæreant, regulamq; præscriptam decenter observent. (3.) Multi laquei atq; pericula sunt in divitiis, inter quos eminent illegitima acquisitio, quâ quidem opes cumulantur, at conscientia & anima sic læduntur, ut damnum illis illatum sæpè fiat immedicabile. (4.) Avari opes corradentes, qui sibi in his felicitatem imaginantur, ingens attrahunt infortunium, quod & ipsos, & domum, & familiam, & posteros etiam premit atque infestat.

COROLLARIA.

I.

Libertinismus, & Indifferentismus procreant Atheismum.

II.

Magna differentia est inter has propositiones: *Fides, qua per charitatem operosa est, justificat, & Fides, quatenus per charitatem est operosa, justificat*: Prior vera, Posterior falsa est.

III.

Sic distinctæ ac diversæ sunt Propositiones: *Bona opera necessaria sunt ad salutem, & Bona opera salvandis sunt necessaria*: Prior in libris Symbolicis rejicitur, posterior approbatur.

IV.

Improbanda tamen propositio est: *Bona opera salvandis, quatenus salvandis, necessaria sunt*.

V.

Fides sola justificat exclusis operibus; id est, *quatenus justificat, eatenus non edit bona opera, & contra, quatenus bona opera edit, non justificat*.

VI.

Fides tamen justificans est operosa per charitatem.

VII.

Maximè distat *desiderium fiduciale* piorum, à desiderio im-piorum, qui & ipsi salvari cupiunt.

VIII.


Ad poenitentiam veram requiritur, & Lex, & Evangelium.

IX.

Caro Christi, ortum trahens ex Adamo, per Mariam Virginem, ejusdem est substantiæ cum nostra, naturali participatione carnis & sanguinis, attamen modo supernaturali.

X.

Omnia, non tantùm genericè, sed in individuo quoque immediatè à DEO proveniunt.



Coll. diss. A. 128, misc. 41